h
H·k·w·

Ca

IOANNIS DE TVRRECREM. CARDINALIS S. SIXTI.

contra

Principales errores perfidi Machometi.



R O M AE,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti. 1606.

SVPERIORVM PERMISSV.

IOANNIS


DE TVRRECREM.

CARDINALIS S. SIXTI.

CONTRA

Principales errores perfidi Machometi.






ROMAE,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti. 1606.

SVPERIORVM PERMISSV.



BEATISSIMO, ET CLEMENTISS. D. ET PATRI D. PIO

Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

IOANNES DE TVRRECREMATA Rom. Eccl. tt. S. Mariæ Transtiberim Presb. Card. S. Sixti vulgariter nuncupatus, post humilem recomendationem ad pedum oscula Beatorum.



LAETATVS sum Beatissime Pater, & non parum exultauit spiritus meus gratias agens bonarum mentium inspiratori zelum sanctum intelligens, quo diuinitas B. T. ita charitatis suæ flamma ad fidem tuendã, ad pacem, & quietem Christiani populi incenderit, vt omnem curam, omneq; vigilijs prudentiæ studium

adhibeas vt furori persecutionis, quo in præsentiarũ per diuersas orbis prouincias Christianum populum Turcus perturbat, infestat, vt omnino eum demolire festinet congredi poßit, & occurrere, salubre certè propositum, & dignitate tua dignum. Rursus quia huius sancti tui desiderij adimpletio Ecclesiæ Romanæ facultates excedit, & vires, totamq; Rempublicam Christianam tangit, maximè cum Turci ambitio non ad dignitates Ecclesiasticas, sed potius ad Imperia, & regna, ad Principatus sæculares, & maximarum communitatum dominatus occupandos adspiret, vt conceptum huiusmodi laudandæ solicitudinis propositum prosperũ esset habiturum processum prouidentißimè S.T. deliberauit præsentiam suam non obstantibus infirmitatibus, quibus frequenter laboras, alijsq; incommodis multis certo loco propinquo vltramontaneis Prouincijs pro tempore accomodare, vbi aduenie͂tibus Christianis Principibus, quibus tutela Ecclesiæ diuinitus est consignata, celebraretur dieta, in qua maturo omnium interueniente consilio tractaretur, quibus prouide͂tiæ consilijs, qua arte, quo ingenio, quibusue progreßibus & fauoribus prædicto persecutionis furori, quo Turcus in Christianum populum sæuit resistere poßit, & conteri audacia virtutis eius. Res profecto commendatione digna,


&

& deliberatio prudentissima. Quis deinceps ita temerarius existat, quod negligentiæ tuæ imputet, si quis in posterum Christianitati casus sinister per Turcum acciderit? Ad quam dietam cum S. T. iussu accessurus essem, vt non tantum illuc proficiscerer pro Reipubl. Christianæ salute ingenium meum, omnesq; facultates meas liberaliter oblaturus, quod omnes fideles pro suarum virium portione facere tenentur. Sed etiam funda Dauidica idest diuinæ Sapientiæ armatura accinctus occurrerem. Venit in mentem meam aliquos de sacrarum scripturarum torrente lapides limpidissimos atq; solidissimos his modicis diebus in pera cuiusdam tractatuli collectos reponere, quibus damnatissimi hostis Christi Machometi, quem Turci quos Saracenos vulgariter appellamus diabolica calliditate decepti tanquam verum Dei Prophetam venerantur, & colunt frons ita percuteretur, vt eius sectæ doctrina falsa, erronea, execrabilis, atq; pernitiosa omnibus demonstrata clarissimè, Christianus populus ad illius sectæ, & gentis expugnationem & destructionem propensius inardescat, surgatq; animosius. Confisus ergo de Saluatoris nostri Iesu Christi auxilio cuius res agitur collectis animi viribus aggressus sum, Beatissime Pater, laborem hunc ita subitum licet senectutis meæ

incommodis ſatis fatigatus, tum zelo Chriſtianæ fidei, tum vt rem aliquam S. T. gratam efficerem, tum vt ardorem ſanctum animi tui ad tuitionem Chriſtiani populi verborum meorum ſcintillis vtcunq; fouerem, quod vero poſt alios, qui contra Machometum aliqua deſudaſſe reperiuntur, aliquid ſcribere voluerim, non arrogantiæ aut temeritati attribuendum eſt, ſed quodammodo neceſsitati; quoniam illorũ tractatus, potius hyſtoriam originis, & vitæ Machometi, ac eius fabulas texere, quàm errores eius perniciosos contra Catholicam fidem, bonosq; mores repellere verſi ſunt, quod maximè proſequendum eſſe videtur. Nõ polliceor tamen omnes illius errores, & inſanias falſas hoc noſtro celeri ſtudio propellere, quoniam ſingulos eius errores percurrere, cum quaſi infiniti ſint, non parui tractatus, ſed maximi voluminis, & longi ſtudij opus eßet: nihilominus principales eius errores, qui maximè fidei Catholicæ aduerſari videntur impugnare, & confringere inſuperabilibus ſacrarum ſcripturarum armis, ac irrefragabilibus rationibus tota mea virtute, opitulante Domino, curabo. Id autem maxime demonſtrare intendo, quod Machometus fuerit Pſeudo propheta ſeductor gentis ſuæ, lexq; eius non à Deo ſed Diabolo impietatis ſuggeſtore proceſſerit, ſicq; ſecta illius quaſi ex om-

omnium Hæreticorum erroribus quædam cloaca congregata; quod cum adimpleuero credo non parum vtilitatis allaturum esse sancto desiderio Beatitudinis T. Arbitror enim per hoc ministrari fragilibus, qui sæpe ex leuibus moueri solent in sanctissima fide nostra stabilitatis firmamentum, fortibus vero, quos de fide aduersus Sarracenos disputationis certamen inire contigerit aliqualis armatura ad fidei tutamentum: excitatur etiam inde populus Christianus ad bellum contra Turcos animosius suscipiendum & prosequendum: Quem tractatulum inter alias occupationes sic mediocritate mea, quàm citissime vt potui, & quasi furtim elaboratum S.T. offero, quem non parui faciat, quia venustate sermonis, & dicendi arte in qua aprime eruditus es non sit pollitum, sic enim ieiuna oratione & rudi sermone pertransiui, tum quia potius Theologicæ sapientiæ, quàm dicendi studio operam dederim, tum eo quia in huiusmodi concertationibus potius vis ingenij ad errores acriter refellendos, quam ornatus verbi exquiritur, tum quia teste Lactantio, Deus hanc rei voluit esse naturam, vt simplex, & nuda veritas esset luculentior, atq; satis ornata per se; mendacium verò specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit, ac defluit, nisi ornatu aliunde quæsito circumlinitum fuerit,

rit, atq; pollitum: Ego vero non eloquentiæ sed veritatis fiducia suscepi hoc opus maius siue fortè quàm humeris meis possit sustineri. In quo si aliquid est corrigendum S. T. quæ summo ingenio pollet, & Cathedram tenet Ecclesiastici magisterij corrigat, & emendet.



DE DESCRIPTIONE MACHOMETI.

CAP. I.



EATVS IOANNES Euangeliſta, cui pro virginitatis prærogatiua datum eſt altius præ cæteris ſecreta rimari cœleſtia, in libro ſuo reuelationum deſcribit tribulationes Eccleſiæ à tẽpore ſuo vſq; ad finem Mundi, vt contra illas patientiæ clypeo reperiamur muniti, quia, vt ait Gregorius, iacula minus feriunt quæ præuidentur, inter quas perſecutionem Eccleſiæ per Machometum, & ſuos futuram præuidens; deſcribit eam nobis verbis ſequentibus Apoc. 13. dicens. Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra; & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut Draco,

Draco, & potestatem prioris omnem faciebat in conspectu eius, & fecit terram, & habitatores in ea adorare bestiam primam cuius curata est plaga mortis, & fecit signa magna, & etiam ignem de cœlo fecit descendere in terram in conspectu omnium hominum, & seduxit habitatores in terra propter signa, quæ sunt data illi facere in conspectu bestiæ; dicit habitatoribus in terra vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagas gladij, & datum est illi, vt daret spiritum bestiæ, & imagini, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat vt quicunq; non adorauerit imaginem bestiæ occidatur. In quibus quidem verbis reprobus Machometus ab omnibus fidelibus inter omnes peruersos Hæreticos maximè venit execrandus, & impugnandus propter octo mala, quæ à Deo in verbis propositis Euangelistæ Ioannis notantur.

Primo, quia fuit vita scelestissimus, cum dicitur, vidi aliam bestiam.

Secundo, quia fuit prædo cupidissimus, cum dicitur Ascendentem de terra.

Tertio, quia fuit simulator sãctitatis pessimus, cum dicitur Et habebat cornua duo similia Agni.

Quarto, quia fuit in doctrina virulentissimus, cum dicitur Et loquebatur sicut Draco.

Quinto, quia fuit in malis operandis studiosissimus, cum dicitur, Et potestatem prioris om-

omnem faciebat.

Sexto, quia fuit temerarius arrogantisſimus, cum dicitur. Fecit terram, & habitatores in ea adorare beſtiam.

Septimo, quia fuit ſeductor periculoſisſimus, cum dicitur, Et fecit ſigna magna.

Octauo, quia fuit Tyrannus crudelisſimus, cũ dicitur. Quicumq; non adorauerit imaginem beſtiæ occidatur.

In primis Machometus à Beato Ioanne deſcribitur vita ſcelectisſimus cum dicitur. Vidi aliam beſtiam ſcilicet Machometum vitam voluptuoſam, quæ beſtialis dicitur primo Ethicorum ducentem.

Nam fuit luxurioſus, & libidinis ardore ſuccenſus per omnes homines Orientalis Regionis iactans ſe ſuper 40. homines ex diuino munere virtutem generatiuam, & coeundi poteſtatem habere; laudat ſe etiam beſtialis Machometus ſibi à Deo conceſſum, vt concubere posſit cum omnibus mulieribus, quæ ſe ſibi gratis ſupponere vellent. Legitur autem quindecim vxores habuiſſe, & duas ancillas vnde proprie deſcriptus eſt à Beato Ioanne nomine beſtiæ.

Secundo deſcribitur reprobus Machometus à Beato Ioanne in verbis propoſitis, vt prædo cupidisſimus ſiue auarisſimus ibi, Aſcendentem de terra: quia per mercationes, & rapinas aſcendit de paupertate ad diuitias.

Ma-

Machometus enim vtroq; parente orbatus ſub Auunculi ſui Manophi tutela annos agebat pueritiæ Idolorum tunc temporis cultui cum vniuerſa gente Arabum inſeruiens quemadmodum ipſe in Alcorano ſuo teſtatur Deum ſibi dixiſſe referens, Orphanus fuiſti, & te in errore ſuſcepi teq; dilexi, & locupletaui; poſt aliquantulum etiam ſpatium annorum mercenarius fuit ad ſeruitium Camelorum apud quandam nobiliſſimam viduam nomine Cadigam, & proficiſcebatur cum Camelis in Siriam, & in alia loca vbi innumera latrocinia committebat, & furta, qui tandem ita Dominæ ſuæ animum obtinuit, vt iure coniugij, rebus omnibus, rerũq; pariter dominatu potiretur. Itaq; calliditate multa de ignobili, & egeno in Diuitem & famoſum prouectus fuit. Et quia auaritia vt dicit Ambroſius quo plus aſcenderit, eo ad altiora feſtinat, in tantam prorupit ſuperbiam, vt regnum Arabum ſibi imperandum polliceretur, niſi ſuos timeret contribulos quod eum pro Rege non tenerent cũ ſibi, & æquales fuiſſent & maiores.

Tertio, Reprobus Machometus à B. Ioanne deſcribitur, vt ſimulator ſanctitatis peſſimus cum dicit, quod habebat cornua duo ſimilia Agni ideſt Chriſti, cuius duo cornua dicuntur videlicet prophetia ſecundum illud Lucæ vij. Propheta magnus ſurrexit in nobis

bis, secundum est latio legis nouæ. Machometus autem videns se ad effectũ regni prout cupiebat non posse violentia deuenire, arte, & ingenio magno vsus est, vt qui Rex esse non poterat Prophetam se Dei simularet, & Nuncium, legemq; sibi à Deo reuelatam tanquam Prophetæ Dei summi mentiretur. Et propter hoc bene dicit Ioannes Euangelista illum habere cornua duo similia cornibus Agni idest Christi, quia non talia fuerunt secundum veritatem, sed secundum humanam fictionem. Quod autem falsum sit illum Dei Prophetam fuisse, atq; quod legẽ à Deo reuelatam susceperit nos (opitulante Domino) inferius luce clarius demonstrabimus.

Quarto. Describitur Machometus reprobus à Beato Ioanne in doctrina virulentissima cũ dicitur Loquebatur sicut Draco.) in quo plane in doctrina dolosa notatur & venenosa, Istæ enim sunt Draconis proprietates, vt occultè & fraudulenter decipiat & venenum infundat. Hoc certe modo Machometus in deceptione Agarenorum, siue Ismaelitarum quos nunc Sarracenos appellamus legitur processisse.

Narratur autem in quadam cronica quod Clericus quidam valde famosus cum in Romana Curia honorem, quem cupiebat assequi non potuisset indignatus, ad partes vltrama

rinas

rinas confugiens sua simulatione innumerabilem populum ad se traxit, inueniensq́; Machometum dixit illi, quod ipsum illi populo præficere vellet, nutriensq; columbam grana & alia huiusmodi in auribus Machometi ponebat. Columba autem super eius humeris stans de auribus eius cibum sibi sumebat, sic adeo assuefacta erat, vt quandocunq; Machometum videbat protinus super eius humeris prosiliens rostrum in eius aure ponebat: Prædictus igitur vir populum conuocans dixit se illum sibi velle præficere, quē Spiritus Sanctus in specie columbæ monstraret, statimq; columbam secretè emisit, & illa super hnmeris Machometi, qui cum alijs astabat euolans rostrum in eius ore apposuit, Quod populus videns Spiritum Sanctum esse credidit, qui super eum descenderet, atq; in eius aurem verba Dei inferret, & sic Machometus Saracenos seduxit ad legē suam, quasi diuinam recipiendam pertinaciter animauit, qui sibi adhærentes Regnum Persidis, & Orientalis Imperij fines vsq; ad Alexandriam inuaserunt. Alibi tamen legitur. Quod fuit quidam Monachus Sergius nomine qui in errorem Nestorij incidens, dum à Monachis, & ab Ecclesia fuisset expulsus in Arabiam venit, & Machometo adhæsit, qui ipsum Machometum de nouo, & veteri testamento plura edocuit secun-

dum

dum Nestorij magistri sui intellectum, qui Saluatorem nostrum Deum esse negabat, & partim prout sibi visum est simulq; apocriphorum fabulis eum plenissime imbuens Christianum Nestorianum effecit vt tota ini quitatis plenitudo in Machometum conflueret,& nihil ei ad perditionem sui, vel aliorũ deesset, adiuncti sunt Iudæi Hæretico, qui ne verus Christianus fieret dolose præcauentes, huiusmodi nouis rebus inhianti, nõ scripturarum virtutem, sed fabulas suas, quibus nunc adhuc abundant ipsi Machometo insibilarunt: sic ab optimis Doctoribus Iudæis & hæreticis Mahometh instructus Alchoranum suum condidit,& tam ex fabulis Iudaicis, quam ex Hæreticorum venis confectam nephariam scripturam barbaro suo illo modo contexuit, quod paulatim per tomos à Gabriele, cuius nomen è sacra scriptura cognouerat, sibi allatum mentitus, gentem Deum ignorantem lethali hausto infecit,& in ore talium omnium calicis melle liniens subsequente mortifero veneno, animas & corpora gentis miseræ (proh dolor) interemit. Bene ergo dicit Ioannes Euangelista, quod vt Draco locutus est.

Quinto, Reprobus Machometus describitur à Beato Ioanne in malis operandis studiosissimus persecutor, cum dicitur. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in con-

ſpectu eius. Iuxta magiſtrum Nicolaum de Lira: Modus primi Regis in aliquo Regno eſt Regnum ſuum firmare, & dilatare quantum poteſt, quod fecit ipſe Machometus, & ideo dicitur poteſtatem Prioris omnem faciebat: quia quidquid ſolet facere primus Rex ad firmandum, & dilatandum ſuam poteſtatem diligentius ipſe agebat in conſpectu eius, ideſt, prout ſibi ad ſuum intentum expediens videbatur. Vbi notandum, quod Machometus ad firmandum, & dilatandum legem ſuam, ſiue poteſtatẽ quatuor aſtutijs, ſiue cautelis vſus eſt.

Prima eſt, vt de lege ſua non diſputaretur ratione, ſed gladio, timuit profecto, vt ſi inter ſapientes ventilaretur, facillimè vana, & perniciosa oſtenderetur.

In oppoſitum eſt clarisſima Chriſtiana Religio in qua Prælati hoc non timentes præcipiuntur parati eſſe rationem reddere de ea quæ in eis eſt, fide. Hoc enim pertinet ad ſapientem aſsignare rationem, & cauſam ſui operis, aliàs quilibet fatuus poſſet legem condere, & concludere, quicquid vellet, & dicere, non credatis contrarium aſſerentibus.

Secunda cautela, qua eſt vſus, eſt, vt Saraceni non vacarent ſtudijs philoſophiæ per quæ falſitas illius etiam apud ſola naturali ratione vigentes manifeſtè appareret.

Tertia cautela fuit, vt in principio illam non nisi rusticis, insipientibus, & simplicibus persuaderet, nam cum supradicto modo Prophetæ sibi nomen vsurpasset, ingressus est ad homines, qui tantò facilius qualibet astutiæ machinatione decipi poterant, quantò longius ab omni sapientia, & vsu ciuilitatis totiusq; humanæ prudentiæ honestate per agros & villulas sequestrati, quod Dei nuncius, vel Propheta esset, aut in quo cognosci deberet, deniq; quid inter veritatẽ, & mendacium inter fatuitatem, & sapientiam distaret, discernere nesciebant, ad hos decipiendos cuiusdam Astrologi ope, & consilio non mediocriter confortatus homines ad se pestiferos, & viarum insidiatores, fugitiuos quoq;, & homicidas sibi aggregauit, quorum auxilio suum terrorem auxit super multos.

Quarta cautela fuit, quia legem laxans fræna luxuriæ, & voluptati, quam homines carnales mente corrupti libenter amplectuntur, & ita patet qualiter in dilatatione suæ sectæ malis operandis fuit studiosissimus.

Sexto re℘bus Machometus describitur à Beatissimo Ioanne Euangelista temerarius arrogantissimus: cùm dicitur, fecit terram suam, & habitantes in ea adorare bestiam primam, idest, se ipsum, qui dicitur bestia, ratione prius assignata, adorare, non dico

tanquàm Deum, ſed ſicut Prophetam Dei ſummum, talem enim ſe prædicauit, & creditus eſt à gente illa ſua ſtulta, tantæ autem temeritatis fuiſſe legitur, vt auſus fuiſſet dicere. Credite in Deum, & in Nuncium eius Machometum, obedite Deo, & Nuncio eius, ſequimini Deum, & Nuncium eius: Quod profectò verbum arrogantiſſimum fuit, ſicut infrà oſtendemus, vbi ipſum non Dei, ſed Pſeudoprophetam manifeſta ratione monſtrabimus.

Septimo reprobus Machometus deſcribitur à B. Ioanne ſeductor periculoſiſſimus, cum dicitur, fecit ſigna magna, falſa tamen, vt etiã ignem faceret de cælo in terram deſcendere, hic vt manifeſtè patet, & dicit Magiſter Nicolaus de Lyra, Accipitur ignis metaphoricè, ſicut & alia, quæ dicuntur hic. Machometus enim, poſtquàm erat magnus effectus, cæpit cadere Epileptica paſſione, propter quod ne ex hoc vilificaretur, & apud vxorem ſuam, & populum dixit ſe hoc pati, ex apparitione Gabrielis Archangeli, vtpote homo purus non potens ſuſtinere refulgentiam ipſius, ſicut Daniel capite x. dixit, Angelo ſibi apparenti; Domine mi in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit uiriũ, Angeli vero, ignis vocantur, ſecundum illud pſalmi: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ignẽ vren-

vrentem; Verùm quia istud erat falsum, & fictum ab illo nequam Machometo, ideo subiungitur in conspectu hominum, idest in opinione falsa sibi credentium, dixerunt et sui discipuli, quod Lunam ad se vocatam fecit descendere, quæ ratione luminis conuenit cum igne, & sic secundum opinionem hominum fecit ignem descendere, & ita vt sequitur seduxit in terra habitantes per se, & discipulos suos propter signa, quæ falsa dicta sunt de eo, & à bestialibus hominibus credita.

Octauo reprobus Machometus describitur à B. Ioanne Tyrannus crudelissimus cum sequitur dicens Habitantibus in terra sibi subiecta scilicet, vt faciant imaginem bestiæ. Dicitur autem eius imago, lex ab eo data, in qua repræsentatur eius conditio, & vita, & præcipit firmiter sub pœna mortis illam custodiri, & hoc est quod dicitur vt faciant imaginem, idest opere adimpleant eius legem, & datum est ei, idest permissum à Deo, vt daret spiritum imagini, idest vigorem suæ legi. Lex enim dicitur viua, quandiù viget, & mortua, quando alteratur, vt loquatur imago bestiæ, idest sententiam suã ostendat, sicut dicitur, lex talis, loquitur in tali casu, nã omnia ferè accipiũtur metaphoricè; sequitur, & quicunq; non adorauerit imaginem bestiæ, idest legem bestialem Macho-

meti non receperit, & non coluerit; occidatur, & faciet per violentiam omnes pusillos, & magnos, diuites, & pauperes, liberos, & seruos habere caracterem in manu dextera, idest in opere, & in frontibus suis, per oris confessionem.

Machometus non verus Dei Propheta sed falsus esse monstratur.
Caput II.


VANQVAM ex descriptione præfata, qua Beatiss. Io annes reuelante Domino Machometum descripsit clarum habeatur, quod Machometus non verus Dei Propheta; sed falsus fuerit à Diabolo missus, nihilominus hoc ipsum apertissimis rationibus demonstrare curabimus.

Primo quidem hoc ex ipsius Machometi vitæ immunditia, & carnalitate, quibus inuolutus fuit; sic. Licet enim prophetiæ donum necessariò morum bonitatem requirat, aut mentis sanctimoniam. Vnde Matthæus 7. ex persona damnatorum dicitur, Domine in nomini tuo prophetauimus, & Apostolus lib. Chorint. 13. si habuero prophetiam, & nouerim mysteria eorum, charitatem autem non habeam nihil sum. Nihilominus donum

num prophetiæ non infunditur quibuscunq; pectoribus, quædam enim sunt peccata, vt ait S. Thomas, quæ vsum prophetiæ impediunt, & quædam non, quia enim carnalia mentem à spiritualitate omnino retrahunt, ex hoc ipso, quod aliquis est peccatis mortalibus subditus, ineptus ad prophetiam redditur, ad cuius reuelationem, mentis spiritualitas requiritur. Peccata vero spiritualia, spiritualitatem mentis non ita impediunt, & ideo cõtingit aliquem esse prophetam, spiritualibus peccatis subditum, non autem carnalibus; & ideo dicit Raby Moyses Philosophus Aegyptius, vt ait S. Thomas quod hoc est signum, quod aliquis, est falsus Propheta, quando voluptatibus sæculi detinetur.

Cum autem Machometus carnalibus peccatis inuolutus maximè fuerit, stupris, libidinibus, adulterijs supra modum deditus. Qua ratione Beatiss. Ioannes nomine bestiæ eum describit, vt in præsenti capitulo; manifestũ est ipsum non Prophetam Dei fuisse, sed potius de eorum Prophetarum numero, de quibus dicit Hieremias 23. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini. Et Ezech. 13. Hæc dicit Dominus Deus, de Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum,

& nihil vident.

Secundo idem oſtenditur ſic,ad prophetiam maxima requiritur mentis eleuatio ad ſpiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur,non modo per vehementiam paſſionum vt in præcedenti ratione, ſed etiam per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Vnde, & de filijs Prophetarum legitur 4. Reg. quod habitabant cum Heliſeo,quaſi ſolitariam vitam ducētes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono Prophetiæ; nullo ergo modo credendū eſt, quod homo beſtialem vitam ducens, maleficijs,ſpolijs,& rapinis,& violentijs inferendis ſemper intentus,cuiuſmodi fuit iſte perfidus Machometus,vt dictum eſt, Prophetiæ gratia à Deo fuerit donatus.

Tertio ſic, Prophetia cum ſit donum Dei datur ad vtilitatem Eccleſiæ,ſicut,& aliæ gratiæ gratis illatæ,ſecundum illud Apoſtoli 1. Chorint. 12. Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, ſed ea quæ dicta ſunt à Machometo, non ſunt ad vtilitatem fidelium ordinata,immò ad deſtructionem morum,ad virtutum exterminium, ad fidei, & religionis omnimodam extirpationem, vt patet manifeſtè Alcoranum eius legentibus & infra nos oſtendemus, cum de erroribus eius loquemur; nullo ergo modo credendū eſt Machometum,Prophetam fuiſſe Dñi.

Quar-

Quarto ſic, Prophetia, cum ſit inſpiratio, vel reuelatio Diuina, rerum euentus immobili veritate denuncians, nō poteſt prophetiæ, quæ à Deo eſt ſubeſſe aliquod falſum. Sed ſecta Machometi, quam dicit ſe habuiſſe, tanquā Propheta à Deo continet multa falſa, erronea plurima, mendacia quaſi innumera, vt patet Alcoranum eius percurrentibus, & nos infra oſtēdemus, cum de erroribus eius loquemur. ergo impoſſibile eſt, quod Machometus fuerit Propheta Domini, ſed potius Diaboli, qui pater eſt mendaciorum.

Quinto ſic, cum cognitio veritatis eadem ſit in Diſcipulis, & in docente, quia cognitio addiſcentis, ſimilitudo eſt cognitionis docentis, ſicut in rebus naturalibus forma generatiua ſimilitudo quædam eſt generātis. Impoſſibile eſt Prophetas Domini in doctrinis, & denunciationibus propheticis ſibi inuicem aduerſari; ſed Machometus contradicit in pluribus doctrinis, & denunciationibus propheticis aliorum Prophetarum Domini, vt patet, & patebit luce clarius infra, vbi de eius erroribus dicetur. ergo impoſſibile eſt quod Machometus fuerit Propheta Domini.

Sexto ex eadem radice, ſic, Cum veritas cognitionis eadem ſit in magiſtro docente, & diſcipulo addiſcente, impoſſibile eū eſt Prophetam Domini eſſe, qui legi Dei, & Chriſti

Euangelio aduerſatur,& contraria eis prophetat,& loquitur ; ſed Machometus plurima Diuinæ legi , & Chriſti Euangelio contraria docuit , vt manifeſtum eſt legentibus Alcoranum , & nos infra oſtendemus ergo impoſſibile eſt,quod ipſe Machometus fuerit propheta Dei .

Septimo ſic propheta dicitur,ignota prædicēs, vnde Propheta , quaſi procul fans dicitur , ſed iſte ignota vera nulla præterita dixit, & ſi aliqua de Adam,de Noe,de Abraham,de Moyſe,& de Chriſto, enarraſſe legatur,vtinam ſicut apud nos erant ipſe ea veraciter prædicaret, & non per multa mendacia delirans totam penè ſcripturæ ſanctæ veritatem ſubuerteret ; quare quantum ad præterita iam de ordine prophetarum cecidit , qui tot mendacijs veritatem corrumpit; de futuris vero, quia nihil dixit , maxime cum eorum quæ dicit,in tota Scriptura quaſi nihil tale inueniatur, merito etiam, quantum ad futura prophetiæ gratia excluſus habendus eſt,& ita id quod prius, vnde perniciosiſſimus homo,quaſi prophetans de futuris, dixerat,corpus ſuum poſt eius mortem tertia die deferendum eſſe ad cœlum , in quo mentitum eſſe , omnibus notuit ; Nam cum propter eius dictum non ſtatim ſepeliretur fœtere maxime ita cœpit , vt citisſimè eum ſepeliri fœtoris magnitudo compelleret.

Octauo sic, ex illo sapientiæ primo, spiritus di sciplinæ effugiet fictum; sed Machometus fuit homo maximè fictus,& simulator sancti tatis,& seductor hominum, vt visum est in præcedenti capitulo, ergo impossibile est, quòd fuerit Propheta Domini; sed ecce quid respondit stultissimus homo ille; ait enim quod Moyses,& Dauid homicidæ fuerunt, & nihilominus Prophetæ Dei esse dicuntur; & ita ipse licet prosequatur inimicos suos, legem sibi à Deo datam non recipientes, propheta dici potest. Falsa certe applicatio.

Tum primo, quia illi, & si aliquando peccauerunt,pœnituerunt tamen, & veniam meruerunt. Vnde postquàm Dauid dixerit, peccaui, dixit Natham propheta ex ore Dei, Deus transtulit peccatum tuum; de Machometo verò, quòd de suis peccatis pœnituerit,non legitur, sed potius quod mala malis in dies addiderit, sicut patet ex præcedentibus.

Tum secundo quia licet illi quandoq; fuerint peccatores, non tamen illis peccatis continuè subiecti, quæ maximè repugnant dono prophetiæ, sicut fuit sceleratissimus Machometus,vt supra diximus.


Tum tertio quia aliud est Prophetam malum esse moribus,& aliud est,mendosa,ac turpia & contraria legi Dei,&Euangelio,& sanctis

Pro-

Prophetis prophetari, seù docere. primum est possibile, vt in principio huiusmodi capi tuli diximus; secundum verò apud verum Dei prophetam non, quia Deus testis falsita tis esse non potest.

Tum quarto fuga Machometi est nulla, quoniam falsum est, quod contra transgressores legis à Deo datæ militet, & tales prosequatur, immò è contra amicos Dei, & Diuinæ legis obseruatores ipse inimicus Dei, & Diuinæ legis corruptor persecutus est, & per suos nunc persequitur.

Improbantur quædam quæ Machometus de se mendaciter asserit.
Cap. III.


X iam decursis luce clarius splendet, quàm mendosa, quàm stulta sint quæ de se ipso Machometus in laudẽ sui asserit, & de quibus Saraceni ipsum plurimum colũt, sunt autem inter alia, sex laudes eius.

Prima est, quod dicit se Prophetam generalẽ, ita se asserit, & ita eum Saraceni commendant; sed quod hoc falsum sit manifestum est, tum ex dictis in præcedenti capitulo; tũ secundo, ex illo Euangelio Matthæi 11. dicit

Chri-

Chriſtus, lex & prophetæ vſq; ad Ioannem, quod dictum eſt, quod totus mundus ſciret, quod generalis Propheta non erat venturus vlterius; tum tertio, vnde enim Machometus generalis dicetur, aut quia generaliter de multis prophetauit, hoc non, quoniam in præcedenti capitulo oſtendimus, nulla illum de præterito, aut de futuro legitur vera prophetaſſe; aut dicitur generalis, quia diuerſis gentibus prophetauit, hoc nō, quia aliàs dono linguarum fuiſſet dotatus, quod tamē non fuit, quia ſolam linguam Arabicam ſciuit, in qua etiam Alcoranus ſcriptus eſt, vt ipſemet teſtatur.

Secunda laus quàm ſibi attribuit Machometus eſt, quod ſit finis, & ſigillum, & ſilentium omnium Prophetarum, & mandat interfici hominem, qui poſt eum aſſerit ſe prophetā; quàm patenter, quàmq; luculenter laus iſta ſit mendoſa, patet ex dictis, vbi manifeſtis rationibus probatum eſt, ipſum non Prophetā Dei, ſed Pſeudo prophetam, & ſeductorem fuiſſe animarum.

Tertia laus, quam ſibi adſcribit Machometus, eſt, quod de ipſo Chriſtus prophetauit, & dixit filijs Iſrael in Euangelio, annuncio vobis de Nuncio Dei, qui poſt me veniet, & nomē eius Machometus. hoc enim, quod ſit falſū patet, tum ex præcedentibus, præterea falſitas eius manifeſta eſt, cunctis Euangelia legentibus,

gentibus, nisi vellemus dicere, quod implicitè Christus de eo prophetauit, quādo post se aliquos Pseudo prophetas prædixit esse venturos in vestibus ouium, & intus forent lupi rapaces Matth. 7. quod potissimè intelligitur de Hæreticis, vt ait glosa, vbi maximè videtur prophetatum esse de Machometo, quod inter omnes alios Pseudo prophetas, qui venerunt, ipse potissimè seductor fuerit, & lupus rapax animarum multarum occisor.

Quarta laus, quam Machometo Saraceni adscribunt, est, quod nomen Machometi scriptum sit ab æterno in throno Dei in superiori parte ad dexteram. istud planè falsum esse, ex dictis patet, vbi monstratum est, Machometum fuisse Pseudo prophetam, mendacem, impium, & sceleratissimum, talium enim nomina non scribuntur in cœlo; ait enim propheta de impijs, Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribātur. Præterea quàm sit hoc friuolè dictū, ostendimus; si petamus à Saracenis, qui hoc fingunt, quis nomen illud in throno Dei scripsit, An aliquis scripsit illud coeternū Deo; & hoc non, cum nedum secula creata essent; An Deus hoc sibi scripsit, timens se perdere nomen suum, nisi illud scriberet, quod satis absurdum videtur; si forsitan ideò scripsit, vt Angeli possent hoc legere, & hoc non minus

nus est insulsum sentire, nō enim per literas loquitur Deus Angelis sed illuminatione præsentiæ suæ, quæ illis vbiq; adest. Præterea si dicatur propter homines scriptum esse, vt ipsi legerent, & scirent, sed hoc non; quomodò enim homines in throno Dei legerent? Restat ergo friuolum, vanumq; hoc quod Saraceni de nomine Machometi dicunt; possent ad hoc induci alia argumenta, vtpotè, de qua materia erat thronus Dei, in quo scriptum dicunt nomen Machometi ab æterno, quam necesse est Deo coeternā cōfiteri, & quo atramēto fuerit scriptum nomen illud ab æterno in eo, & similia, quæ manifestè luce ostendunt dictum illud Saracenorum sine intellectu esse, & derisorium.

Quinta laus, quam sibi adscribit Machometus est, quod etiam alij Prophetæ prophetauerunt de eo, vnde ait, quod ipse sit ille de quo dictum est Abrahæ, quod in semine suo benedicerentur omnes gentes. Sanè hoc falsissimum est. In primis vbi ait, quod sancti Prophetæ de eo prophetauerint, nisi sicut diximus supra de Christo, quod implicitè prophetatum fuerit de eo, cum Hieremias de pseudo prophetis loquens dixit, Nolite audire Prophetas, qui prophetant vobis, & decipient vos, visionem cordis sui loquuntur non ex ore Dei. Hierem. 23. In talibus fuit bene prophetatus ipse Machometus cum

inter

inter omnes pſeudo prophetas, qui à principio mundi fuerint ipſe pernicioſior extiterit.

Cœterum, quàm prophanum, & ſtultum ſit, quod conſequenter ſibi adſcribit, quod fuerit in quo omnes gentes benedicendæ erãt, eſt hoc enim manifeſtum illi ſceleratisſimo homini non poſſe conuenire, quia Abrahæ in Iſaac filio Sarræ facta fuerit repromisſio benedictionis, & de conſequenda hæreditate, & nõ in Hiſmael filio Agar ancillæ à quo deſcendunt Hiſmaelitæ, de quorum genere & populo fuit Machometus. Vnde deſcendentes ab eo Agareni, debent nominari, non Saraceni; vnde falsò vſurpauerunt ſibi nomen à Sarra, tanquàm à libera, & digniori; de ipſo vero Hiſmael dicit Gen. 16. quod erat homo ferus, & manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Vnde Machometus potius eſt in quo, & per quem quaſi innumeræ gentes eius doctrinam ſequentes damnationis maledictione ſunt maledictæ.

Sexta laus, quam ſæpè Machometus de ſe replicat eſt, Credite in Deum, & in Nuncium eius. Blaſphemum planè verbum, & ſacrilega exhortatio, quantum ad illam partem in qua ait credite in nuncium eius, ſanè cum credere in aliquem dicat actum fidei tendentem in eum, vt in finem, ſolusq́; Deus ſit re-

rum

rum omnium principium, & finis, in solum Deum credendum est, ipseq; solus tanquàm dux noster, & Dominus sequendus est. Vnde Elias Propheta dixit tertio Reg. 18. si Dominus est Deus noster sequimini eum. Præterea cum cultus latriæ soli Deo debeatur, videtur in verbis prædictis stultus Machometus se facere Deo participem, siue consortem; & tamen in Alcorano habetur. Deus non patitur si quis dat ei participem; solus autem Christus, quia verus Deus est, & verus homo dicere potuit illud Io. 9. si creditis in Deum, & in me credite. glosa, quia ego sum Deus, & illud Io. 8. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Quod secta, siue doctrina Machometi tradita in Alcorano non sit lex à Deo data. *Cap. IIII.*


HABITO quod reprobus ille Machometus non fuerit verus Dei propheta, sed potius Pseudo, falsus, & mendax facilè erit probare, quod eius secta, siuè doctrina execrabilis prorsus, & fugienda in qua excęcatas tenet plurimas gentes, non sit lex à Deo data; ad quod ostendendum

dendum vtemur pro fundamentis illis quæ in sacraris literis attribui solent legi quæ ex Deo est. In primis scribitur in psal. 18. lex Domini immaculata conuertens animas testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.

Vbi quinque conditiones notabiles attribuuntur legi quæ à Deo est, quas cum ostenderimus non conuenire sectæ, siue doctrinæ Machometi sufficienter nos probasse intelligemus illam non fuisse à Deo datam.

Prima conditio legis quæ à Deo esse dicitur est, quod sit rationabilis cum dicitur lex. Nam iuxta Philosophum 2. Ethic. lex est quod ratione consistit; & Tullius in Philip. ait, lex nihil aliud est quam recta à Numine Deorum tracta ratio, ex qua legis conditione luce clarius vnusquisq; intelliget illam à Deo datam non esse dicendam, quæ ea contineat, quæ omnino à ratione discordent. Vnde Deus maledicit condentes leges iniquas, Isaiæ 10. Cum autem secta Machometi nulla ratione consistat, continet nanq; multa, & concedit quę ab omni recta ratione discordant, immò quæ bestialia sunt, vtpotè fornicationes, adulteria, peccata contra naturam, prædationes, furta, rapinas, violentias, quæ etiam naturali rationi repugnant, quare manifestum est illam legem à Deo datam non esse.

Secun-

Secunda conditio legis, quæ à Deo data sit, est, quod honesta, munda, iusta, & sancta præcipiat, cum dicitur, immaculata, omnia mala excludens, nullam turpitudinem peccati admittens, Psal. eloquia Domini, eloquia casta, & Iob. 6. non inuenietis in ore meo iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Hoc enim est de conditione omnis bonæ legis. Quod etiam Tullius testatur dicens, lex est recta ratio à Deo summo tracta imponens honesta, & prohibens contraria. Hic enim videtur esse proprius effectus legis iuxta Aristotelem 2. Ethic. & 1. Polit. inducere homines ad propriam virtutẽ, Virtus autem est, quæ bonum facit habentem, & opus eis reddit bonum: legis ergo est honesta præcipere, & sancta; vnde de lege à Deo data dicit Apostolus ad Roman. 7. lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Cum igitur secta, & doctrina Machometi, & Sarracenorum non sit immaculata, non honesta, non sancta, cum plurima turpia, tanquàm licita concedat, quæ inhonestissima sunt apud omnes, qui intellectu vigent, vt ex dictis supra patet, manifestum est, quod secta, siue doctrina illius diei non possit in veritate lex à Deo data, qui cum Sanctus Sanctorum sit, non nisi sancta præcipere potest. Sed diceret fortassis aliquis nunquid non multa bona secta Machometi

præcipit,& imperat,sicut Verbi g. vt ieiunetur,oretur,& fiant elemosynæ? Respōdeo quod verum est,sed ab ipso tamen talia primo inuenta non sunt,multo enim sanctius,& honestius Moyses,& Elias, & alij Prophetarum multi, Ioannes quoq; Baptista, sed & ipse Dominus omnium Iesus Christus,& ieiunauerunt,& orauerunt,& misericordias impenderunt.

Nos quoq; ieiunare,& orare,& elemosynam dare ante prodigiosam sectam ipsius Machometi, Infiniti retro temporibus docuerunt, cesset, cesset, Machometus earum rerum velle videri magister primus, quarum nec dignus fuit in aliquo discipulus esse vel vltimus, absit à nobis prædicator talis ieiunij,qui post monstruosum ieiunium sic omni libidini, & ingluuiei operam impendere præcipit, vt non ad aliud videatur instituisse ieiunium,quàm vt postea voluptuosius,& appetentius excitetur omnis libidinum turpitudo.

Tertia conditio legis, quæ à Deo esse dicitur, est, quod non solum exteriores actus hominis,sed etiam interiores dirigat, & ad Deū conuertat. Manifestum est enim quod vnusquisq; Legislator ad suum finem principaliter per leges homines dirigere intendit,sicut Dux exercitus ad victoriam, & Rector Ciuitatis ad pacem; finis autem, quē Deus inten-

intendit per legem quã ipse dat, est ipsemet Deus, ergo lex quæ à Deo est principaliter hominem ad Deum ordinare intendit, & ita conuertere animas ad Deum, vt illi fide, & amore inhæreant. ex hoc capite manifesta luce apparet, quod à Deo summo Præsidente, qui vult omnes suos sanctos esse, & virtuosos, secundum illud Leui. 11. Sancti estote, quoniam Sanctus sum, & primo Tess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; non potest lex emanasse Machometi, quę animas non conuertit, ad Deum, vt illi adhæreant, sed auertit; non dirigit actus interiores, nec exteriores ad virtutes, non ad sanctimoniã, sed ad spurcitiam, & bestialitates maximas.

Quarta conditio legis, quæ à Deo esse dicitur, est, quod habeat testimonium fidele certitudinis suæ, & rectitudinis, sicut enim veritas, quæ subiacet facultati naturali intellectus, declaratur, & firmatur, per reductionem ad prima principia per se nota, sic veritas quo trascendit naturale lumen interius, cuiusmodi est doctrina fidei Catholicæ (saltem quãtum ad principales articulos fidei,) declaratur, & firmatur per opera miraculosa soli Deo possibilia, cum autem talia fuerint, ad testimonium veritatis alicuius doctrinæ, declaratur eius veritas, cum Deus non possit esse testis falsitatis; & hoc modo declarata est veritas legis veteris, quia vt habetur E-

xodi. 19. in datione legis audire cæperunt tonitrua micare fulgura, & nubes densissima operire terram. Hoc modo etiam confirmata est lex Euangelij coram Principibus, & Sapientibus, ac potentibus huius mundi per miracula facta, tam per Christum, quàm per discipulos suos, de quibus, Ioannis 15. Christus ait. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum, (scilicet infidelitatis,) non haberent. Hinc Propheta opera Christi præuidens sufficientissima testimonia esse veritatis doctrinæ eius, ait; testimonia tua credibilia facta sunt nimis. De discipulis autem eius dicit in Euangelio Marci vltimo, Illi, scilicet Discipuli profecti prędicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Vbi dicit B. Augustinus, Terra plena miraculis, vbi fideliũ credulitas plus actibus, quàm elocutionibus eruditur: ex hoc verissimo fundamento, apertissimè demonstratur, sectam Machometi à Deo non esse, cùm nullũ testimoniũ fidele veritatis sectæ suæ habeat Machometus; non quidem testimonium legis naturalis, nec alicuius sacræ Scripturæ, cum plurima, & contra naturæ legem, & diuinæ legi contraria, doceat, vt supra iam ostendimus. Non habet insuper testimonium aliquod miraculum, quoniam nullum

in

in veritate tale fecisse legitur: vnde ipse confitetur, non se missum in virtute miraculorum, sed armorum potentia; Vnde ait nō sum missus nisi in virtute gladij, & qui non susceperit meam prophetiā occidatur, aut reddat tributum precium pro infidelitate sua, & dimittatur; Ex quibus verbis apertissimum accipitur argumentum omnia esse falsa, & conficta mendacia, quæ Sarraceni de miraculis eius fingunt, cum ipse Machometus confiteatur expresse nulla signa esse sibi data, nisi illa quæ tyrannis, & latronibus sūt communia, scilicet violentia armorum.

Quinta conditio legis, quæ à Deo esse dicitur, est, quod sit sapientiam præstans paruulis, idest populis. Vnde de lege diuina dicitur Deuteronomij 4. Hæc est sapientia vestra, & intellectus coram populis; Sapientia enim doctrinæ, vt dicitur Ecc. 6. secundum nomen eius; dicitur autem sapientia, quasi sapida scientia, quia cœlestium, & diuinorū dilectione, & dulcedine mentem perfundit. Hinc lux serenissima dicitur sapientia cœlestis, quia intellectum suo splendore illuminat, & affectum mellifluo amore inebriat, vnde Psal. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Hæc autem cum non competant legi Machometi, quæ carnalitatis, & luxuriȩ fœtoribus plena est, manifestè patet illam non à Deo, sed à dia-

bolo processisse.
Sexta conditio legis, quæ à Deo esse dicitur, est, quod vera contineat in omnibus, & doceat, vnde Psal. 118. dicit Propheta, omnia mandata tua veritas; item, principiũ verborum tuorum veritas. Prouer. 8. Iusti sũt omnes sermones mei inquit Diuina sapientia, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & non est in eis prauum quid, nec peruersum; sed secta Machometi continet multa mendacia, & errores pessimos, atq; perniciosos, quorum aliquos infra commemorabimus eos reprobando; vnde luce apertissima patet, quod lex Machometi non à Deo processerit. Diximus autem notanter, legis quæ à Deo est proprium esse in omnibus veram esse, quia continere aliqua bona, aut vera permixta malis etiam Diaboli, & Hæreticorum doctrinis conuenit; sic in secta Machometi contingit, ibi enim multa vera inserta sunt, sicut de vnitate Dei, de vno colendo Deo, & malis bona cõmixta, sicut de eleemosynis faciendis, & aliquando ieiunare, & huiusmodi, qđ sit causa fallendi, vt falsa propter vera credantur, & vt mala propter bona recipiãtur. Hæc est Hæreticorum caliditas, vt ait Isidorus, vt falsa veris malaq; bonis permisceant quatenus faciliùs possint prauitatem peruersi dogmatis sub specie persuadere veritatis.
Septi-

Septima conditio legis quæ à Deo esse dicitur, est, quod grauia, & solida contineat, non fabulas. Vnde Propheta psalmo 118. inquit, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, quia hæreses, & sectæ continent multa fabulosa, & conficta. Vnde sequitur, sed non vt lex tua, omnia mandata tua veritas, non falsitas, non vanitas; sed cum lex Machometi sit plena fabulis derisorijs, vt patet Alcoranū eius legentibus manifestum habetur, quod non fuerit à Deo data, sed potiùs creditur data à diabolo, vel inspirante eo conflata est. Vnde creditur quod humani generis hostis, & Christianæ fidei aduersarius diabolus videns, quod fides Christi crescebat in partibus Orientis, & quod Idolatria deficiebat, iam deuicto Cosdra Rege Persarū, & Medorum Idolatra per Eraclytum Imperatorem, & non posset amplius defendere plures Deos, nec totaliter negare legē Moysis, & Euangelium Christi, quod iam diuulgatum erat per mundum, cogitauit per deceptionem cuiusdam legis mediæ inter nouam, & veterem decipere mundum ad hoc exequendum, assumpsit Machometum hominem maleficum, ritu Idolatram, fortuna pauperem, mente superbissimum; & certe diabolus libentiùs assumpsisset hominem bonæ famæ si fuisset ei permissum sed Diuina Sapientia non permisit nisi vt tale animal assu

ret, & per talem hominem mundum inuaderet, vt mundus de facili posset aduertere, qualis esset lex data per talem Legislatorẽ, & quia Machometus erat homo idiota, & sine literis, diabolus dedit ei comites sibi conuenientes, vt in parte supradiximus quosdam Iudæos hæreticos, & quosdam Christianos dictos Iacobitas, & Nestorianos hæreticos, qui maximè conueniunt cum Sarracenis dicentes, quod Deus non est natus de Beata Virgine, sed purus homo Iesus Christus, & ita secta illa inspirante Diabolo conflata est.

Octaua conditio legis, quæ à Deo emanat, est, quod tota sit sibi cõsona, & in nullo sibi repugnans. Vnde de lege Diuina dicitur in psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, vbi ait glosa per Lucernã intelligitur vetus testamentum, per lumen, nouum. Prouerb. 6. Mandatum Lucerna est, & lex lux, & hæc ideo inter alia, quia omnes partes eius consonæ sunt, non habentes aliquid contrarietatis admixtum, hæc autẽ cum non habeat lex, siue secta Machometi, lex à Deo data nullo modo dicenda est. Nã quod plurimas contrarietates in se continet, manifestum est; Vnde de pluribus aliquos commemoremus. Dicit enim in pluribus, quod Deus oranti non præstat ducatum, & tamen hortatur orare Deum, vt dirigantur,

rigantur, & educantur à tenebris ad lucem, & in via ad directionem.

Item dicit de se ipso, quod fuerit orbatus parentibus, & Idolatra, & tamen dicit, quod eũ talem Prophetam Deus effecit, & quando Deus misit pro eo ascendit ad eum vsq; ad septimum cœlum, & impetrauit cuidam Angelo veniam, qui erat toto mundo maior mille vicibus, quem inuenit flentem peccata sua.

Item dicit se esse generalem Prophetam, & tamen dicit, quod Alcoranus est datus sibi Arabicè, & quod nescit aliam linguam nisi Arabicam. Item dicit in capitulo de Dalchata, quod interpretatur vacca, quod Iudæi, & Christiani, & Sabæi saluabuntur, & postea alibi dicit, quod nullus saluatur nisi in lege Sarracenorum.

Item ipse dicit, quod Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, & filij eorum fuerunt Sarraceni, tamen ipse dicit mandatum sibi esse à Deo vt ipse esset prior Sarracenus; & multa alia leguntur in quibus sibimet cõtrariatur, quæ calamo nostro tædet contingere.

Nona conditio legis, quæ à Deo processisse dicitur, est, quod sit possibilis; Vnde in definitione legis hoc ponitur, vt sit possibilis; cũ ait B. Isidorus, lex est honesta, iusta, possibilis; & intelligitur possibilis, non modo quãtum ad præcepta, quæ semper debent esse

pro-

proportionata ijs, quibus imponuntur; vt Philoſophus docet, 4. Polit. ſed etiam quantum ad ea, quæ tanquàm vera legis fundamenta narrat, hæc autem ſectæ Machometi nullo modo conuenit: Narrat enim aliquãdo de ſe ipſo, & de Angelis, & de DEO in ſuæ ſectæ confirmatione, quæ impoſſibilia in ſe adeò ſunt, vt nullus hominum, qui alicuius intellectus, & ſenſus ſit credere poſſit ita contigiſſe. Inter alia Machometus exponendo Capitulum Alchorani, quod dicitur filiorum Iſrael, in quo dicitur, laus ei ſit, qui tranſire fecit ſeruum ſuum ſub vna nocte ab Oratorio Helcharata, quæ eſt domus Meſchæ, vſq; ad Oratorium remotisſimum, quod eſt domus ſancta in Hieruſalem circa quam apprehendimus DEUM, dixit ſic, homines ò vos intelligite, ero poſtquàm receſſi à vobis, venit ad me Gabriel poſt pſalmodiam veſpertinam vltimam, dixitq; mihi, ò Machomete, præcipit tibi DEUS, vt eum viſites, cui dixi, & vbi eum viſitabo? & dixit Gabriel, in loco vbi ipſe eſt; adducitq; mihi iumentum maius Aſino, & minus mulo, & nomen eius Elberahil qđ loquebatur, & iui vna hora, ſpatio & itinere quinquaginta millium annorum, & dixit mihi Gabriel hunc aſcende, & equita vſq; ad domum ſanctam, cumq; curarem aſcendere refugiebat iumentum, dixitq; ei iſta firmiter, quia Ma-

chometus est qui curat te ascendere; respon dit iumentum, nunquid missum est pro eo? Respondit Gabriel, vtiq; : ait iumentum nõ permittam eum ascendere nisi prius rogauerit Deum pro me. Ego autem intercessi pro iumento dominum meum; ascendiq; iumentum, & gradiebatur insistente me tenui gressu, & collocabat vngulam pedis sui in Orizonte visus sui. Sicq; veni ad domum sanctam in minori spatio quam ictus oculi compleatur, eratq; Gabriel mecum, & addu xit me ad rupem, ad domum sanctam in Hierusalem, dixitq; Gabriel descende, quoniam à rupe ascendes in cœlum, & descendi, & Gabriel ligauit animal in circulo ad rupem, & portauit me in humeris suis vsq; ad cœlum. Cumq; venissem ad cœlum mundi Gabriel ad portam pulsauit, dictumq; est ei, quis es? Respondit ego sum Gabriel, dictumq; est ei iterum; & quis est tecum ibi? respondit, Machometus, & dixit Portinarius, Nunquid missum est pro eo? Respondit Gabriel, etiam, aperuitq; nobis portam & vidi gentem ex Angelis, & bis flectendo genua pro eis fudi orationem, postea accepit me Gabriel, & duxit me ad cœlum secun dum, & fuit distantia inter vnum cœlum, ad aliud itinere quingentorum annorum; & sicut in primo cœlo dixit, se pulsasse, sic per omnia fecit vsq; ad septimum cœlum. In

quo

quo septimo cœlo scribit se vidisse populũ Angelorum, & longitudo vniuscuiusq; Angeli erat instar mundi multis mille vicibus, quorum aliquis habebat septingenta mille milia capita, & in quolibet capite, septingẽta mille millia ora, & in quolibet ore septingenta mille millia linguarum laudãtes Deũ septingentis mille millibus idiomatibus, & respexit vnum Angelum flentem, & quæsiuit causam fletus eius, respondit, culpæ sunt; ipse autem orauit pro eo: sic inquit, Gabriel commendauit me alteri Angelo, & ille alteri, & sic donec starem coram Deo, & tribunali eius, tetigitq; me manu inter humeros, adeò vt frigiditas manus eius perueniret vsq; ad medullas dorsi mei; & multa alia eiusmodi vana stulta deliramenta dicit, quę nos tædet enarrare. Planè hæc sola fictio visionis iam enarratæ, plena tot impossibilitatibus, tot deliramentis, & fatuitatibus sufficit ad ostendendum Machometum non Prophetam fuisse Domini. Sed potius pernitiosum incantatorem, seductorem populorum, diaboli ministrum, & præcursorem Antichristi. Sufficit etiam illa sola fictio visionis ostendere, quod secta sua nõ à Deo sed diabolo, qui pater est mendaciorum, & errorum, processerit; quibus omnibus benè ponderatis admirari non sufficimus, quomodò persuaderi potuerit, non dico alicui sa-

pienti, sed vel qui per somnum aliquid humani cordis se habere putaret, Machometũ fuisse Prophetam, cuius vita, & doctrina ita contraria sint, non solum Diuinæ Religioni. verùm etiam humanæ honestati, vt ipsa quoque bruta animalia penè hoc intelligere possint, sed vt iterum aliquid mitius dicamus, quis vnquam Sanctorum, & Diuinorum nunciorum, quos à Deo missos esse cognouerimus in terrore gladij se missum asseruit? Quis ita facinorosè vixit? quis deniq; tot spurcitias docuit? Aut quis ita ventri, & libidini genus humanum prostituit?

De principijs seu fundamentis quibus vtendum est in reprobatione errorum Machometi. Cap. V.



VONIAM disputantes, & contendentes, necesse est conuenire in aliquibus communibus principijs, ex quibus tanquàm irrefragabilibus testimonijs procedendum sit ad dilucidationem veritatis, & improbationem falsitatis, oportet nos dimicaturos aduersus falsissimum hominem Machometum eis vti principijs, & fundamentis quæ ipse hostis non neget, non respuat, sed acceptet, laudet, & commendet, legem Moysi dico, ac

Pro-

Prophetas, & maximè Euangelium Christi, quod super omnia commendat, & ad suæ secta probationem vti solet; licèt autem Machometus cum hæreticis Nestorianis neget Christum Deum esse, plurimum tamen eum de sanctitate, & potentia miraculorũ commendat, vnde in 6. cap. Alcorani ita de Christo loquitur ad Mariam eius. O Maria tibi summi Nuncij gaudium cum verbo Dei, cuius nomẽ est Christus Iesus, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo futuroque conueniens, præsens, sapiens, vir bonus, & optimus ab vniuersitatis Creatore mittitur. Respondit illa, ò Deus cum virum non tetigi, filium quomodo concipiam? Inquiunt Angeli, Deo nihil occurrit impossibile omnia, prout vult, operatur, ipseq; filium tuum cum Diuina virtute venientem librum legiferum, omnemq; magisterij peritiam, & testamentum, & Euangelium mandatumque filijs Israel edocebit, cæcos, & mutos curabit, morphematicos, atq; leprosos emundabit. Item in cap. xij. dicit Deum dicere Iudæis ite ad Mariæ filium cui commisimus Euangelium, quod est lumen & confirmatio testamenti, & castigamen ac recta via timentibus Deum ad vestræ legis complementũ misimus. Præterea omnes libros Apostolorum qui cum Christo personaliter conuersati sunt Sarraceni recipiunt; libros autem

alio-

aliorum non,sed tanquàm falsarios reijciũt. Sumemus ergo in primis ad destruendum Machometi errores fundamenta illa ab eo laudata,& commendata, videlicet legẽ Dei, Prophetarum, Sanctorum doctrinam, ac Euangelium Christi. Vtemur prætereà secundo loco in argumentatione nostra contra aduersarium, sicut in diabolicis disputationibus, ac iudicijs contentiosis solet contingere aliquibus concessis per eum, quæ intentioni nostræ magis fauere, aut suffragari cognoscemus: hoc enim modo, vt dicit S. Thomas contra gentes lib. 1. cap. 2. vsi sunt Doctores antiqui in destructione errorum gentilium, quos scire poterant.

Describuntur principales errores Machometi reprobandi. Cap. VI.



VONIAM opitulante nobis Diuina potentia zelo veritatis catholicæ propellere, atq; destruere intendimus errores damnatissimi Machometi, Describemus in primis illos qui principales sunt, & magis apertè fidei Catholicæ veritati aduersantur, contra quos mentis nostræ aciem litteris Diuinis armatam potissimè conuertemus, quos breuitatis gratia ad numerum quadraginta reducimus.

Pri-

Primus error eſt, quod negat in Diuinis trinitatem perſonarum.

Secundus eſt quod negat in Diuinis generationem.

Tertius quod negat Spiritum Sanctum Deum eſſe.

Quartus quod negat Incarnationis myſterium.

Quintus quod negat Chriſtum eſſe Deum.

Sextus quod negat Chriſtum fuiſſe mortuum.

Septimus eſt quod negat Chriſtum iudicaturũ in die Iudicij.

Octauus eſt quod aſſerit, quod Iudæi corruperunt legem, & Prophetas, & Chriſtiani etiã, ita quod nihil remanſerit de veritate legis, & Prophetarum, & Euangelij, niſi quantum in Alcorano continetur.

Nonus eſt quod Deus ſit corporeus attribuens ei membra corporea, ſcilicet manus, pedes, & huiuſmodi.

Decimus eſt quod Deus ſit cauſa omnium peccatorum.

11. Error eſt, quod aſſerere videtur omnia iſta mundana fortuita eſſe.

12. Error eſt, quod aſſerit Circuncíſionem eſſe ſeruandam.

13. Error eſt, quod improperat Chriſtianis adorationem imaginum.

14. Error eſt, quod imponit Chriſtianis, quod ſuos Sacerdotes adorent.

15. Error eſt, quod quilibet recte viuens in ſua

secta potest saluari.
16. Error, est, quod nullus saluabitur nisi in secta Sarracenorum.
17. Error, est, quod Angeli sunt corporales de flamma ignis facti siue geniti.
18. Error, est, quod Angeli sunt occidendi, & tandem in die Iudicij surgere habent cum alijs.
19. Error, est, quod asserit Angelos beatos peccare.
20. Error, est, quod demones saluandi sunt, per Alcoranum.
21. Error, est, quod ait, quod Deus præceperit Angelis, quod adorarent primum hominē.
22. Error, est, quod Angeli ignorabant naturas, siue vocabula rerum, quæ Adam rebus imposuit.
23. Error, est, quod dixit animam Adæ esse de portione animæ Dei.
24. Error, est, quod dicit omnes homines ex vna anima esse productos.
25. Error, est, quod dicit cœlum productum, ex fumo, qui consurgit ex vapore maris.
26. Error, est, quod Sol, & Luna fuerunt factæ æqualis luminis, & virtutis, sed ala Gabrielis Lunam tangens obscurauit illam.
27. Error, est, quod licitum sit habere plures vxores.
28. Error est, quod licitum sit repudiare vxorem.

29. Error, est, quod concessit, tanquàm licitũ, adulterium, & fornicationem.

30. Error, est, quod concessit, tanquàm licitum, peccatum contra naturam.

31. Error, est, quod post resurrectionem erit vsus ciborum, & venereorum.

32. Error, est, quod posuit fœlicitatem futurã in carnalibus delectationibus.

33. Error, est, quod bibere vinum sit maximum peccatum.

34. Error, est, quod omnia creata inuocant, & adorant Deum.

35. Error, est, quod Beata Virgo suscepta salutatione Angeli, & concepto filio fugit in longinquum locum, vbi erant palmæ, & ibi peperit.

36. Error, est, quod Beata Virgo cum portaret in brachijs filium increpabatur à vicinis de peccato adulterij.

37. Error, est, quod Prophetæ, & Apostoli fuerunt Sarraceni.

38. Error, est, quod imponit Deo multa falsa, & mendacia.

De errore primo, & eius confutatione.
Cap. VII.

PERFIDVS Machometus nõ valens intelligere pluralitatem personarum Diuinarum, cum vnitate Diuinæ Essentiæ, negat trinitatem personarum in Diuinis, in hoc sequutus perfidũ hæreticum Sabellum qui posuit vnam essentiam, & negauit trinitatem personarum dicens, quod vna persona quandoq; dicitur Pater, quandoq; Filius, quandoq; Spiritus sanctus. Vnde in Alcorano suo deridet Christianos asserentes tres personas in Diuinis, ac si per hoc Christiani tres Deos crederẽt, & adorarent, quod tamen falsissimum est, quoniam sacra Christiana Religio non ita sentit de Trinitate Diuinarum personarum; sed Sanctam Trinitatem, idest Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum Omnipotentem, vnius substantiæ, siue essentiæ, vnius potentiæ, creatorem, & rectorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, credit, & confitetur, & hoc ideo est, quia vnitas Diuinæ Essentiæ in nullo repugnat pluralitati personarum, & huius causam sacri Doctores assignant, quia relatio, & maxime relatio originis, qua al-

terum eſt, ex altero non prædicat, niſi quod eſſe ſuum ad alterum eſt, & propter hoc nihil diuidit, vt dicit Anſelmus niſi ad id, ad quod ponit oppoſitionem, nullam autem ponit oppoſitionem ad Eſſentiam in Eſſentia, ergo nullam facit diuiſionem, & ideo ſequitur, vt etiam dicit Boetius, quod Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus, & hi tres vnus Deus, quia vnitas eſſentiæ, & vnitas eſſe manet in eis, cum in nullo diuidatur, nec diuidi posſit. Vnde quia hoc non intellexerunt Arrius, & Sabellius, nec in ſecutor eorum Machometus negauerũt pluralitatem perſonarum in Diuinis. Hunc errorem refutaturi, & improbaturi, illis primò vtemur, & ſacrarum literarum fontibus teſtimonijs, vbi ipſa ſumma, & increata Diuinarum perſonarum Trinitas, cum Naturæ, ſiue eſſentiæ vnitate, clarisſimè demonſtratur.

In primis occurrit illud Gen. 1. In principio creuit Deus cęlum, & terram, vbi diuina Scriptura per Deum ſignificat Patrem, per principium Filium, pro eo quod apud nos dicitur Deus Hæbraica veritas habet Eloyl, quod eſt plurale huius ſingularis El, quod ergo non eſt dictum El, quod eſt Deus, ſed Eloy, quod poteſt interpræ̨tari Dij, ſiue Iudices ad pluralitem perſonarum refertur: per verbum autem ſingulare, quod ſubiungitur,

creauit, manifestè ostenditur vnitas essentię & sic cum vnitate essentiæ pluralitas innuitur personarum in Diuinis.

Secundo ad idem est ipsa Scriptura sacra Gen. 2. cap. dicens faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Dicit enim pluraliter faciamus, & (nostram) pluralitatem personarum ostendit, dicens verbo singulariter ad imaginem, vnitatem essentiæ demonstrat; vt enim ait Augustinus de fide ad Petrum. Et si in illa natura Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna tantùm esset persona, non diceretur faciamus. Cum enim dicit ad imaginem, ostendit vnam naturam, esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cum enim dicit nostram, ostendit eundem Deum non vnam, sed plures esse personas, nec potest dici cum veritate quod vox illa Dei ad Angelos fuerit; tùm primo, quia Angeli nō fuerunt creatores animarum: Tum secundo, quia non ad imaginem Angeli, sed Dei factus homo esse dicitur, vnde immediatè ibidem post illa verba subditur ad imaginē Dei creauit illum. Est igitur vox Patris ad Filium, vel totius Trinitatis ad inuicem. Nam Deus, qui est vnus in essentia est Trinus in personis. Simile argumentum potest accipi ex dictis Machometi in Alcorano. vbi sæpe in persona Dei dicit Nos creamus cœlum, & terram. Item nos iustificauimus

hominem, & similia, talis profecto pluralis locutio pluralitatem in diuinis indicat personarum, attento quod sicut parum ante diximus, non poterat esse sermo ad Angelos, quia in opere creationis, aut iustificationis Deo Angeli non cooperantur.

Tertio, Error Machometi luce manifesta confunditur ex illo quod sacra Scriptura refert ad Abraham Gen. 18. Quod tres viderit & vnum adorauit vbi S. Abraham Trinitatis diuinarum personarum mysterio in vnitate essentiæ apertissimè confitetur plane nisi ibi Deum intelligeret non Deum adoraret, qđ soli Deo conuenit & nisi vnicum solum intelligeret non vnum, sed plures adoraret. Cum ergo tres videns vnum adoraret in figura trium Iuuenum vnum Deum in Trinitate adorandum intellexit.

Quarto, Confunditur error Machometi de illo Isaiæ Prophetæ cap. 6. vbi se dicit Seraphim clamasse Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, vbi prorsus in eo quod dicit ter Sanctus personarum Trinitatem, In eo verò quod semel dicit Dominus Deus Sabaoth, Diuinæ essentiæ cognoscimus vnitatem, vt disputat Augustinus lib. de fide Sanctæ Trinitatis.

Quinto, Error Machometi eliditur per prophetam eximium Dauid, qui in pluribus locis psalmorum Trinitatem Diuinarum per-

sonarum

sonarum insinuat. Vnde psal. *32.* ait verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. vbi manifeste exprimitur Diuinarum personarum pluralitas cũ vnitate essentiæ; cognitum est enim apud Sapientes, quod verbum distinguitur realiter à dicente siue proferente; & spiritus ab Inspirante, & tamen hi tres vnum sunt, quorum vnitatem Propheta statim insinuat dicens. Congregans sicut in vtre aquas maris; sic ergo in persona Domini Patrem accipimus, in verbo, Filium credimus, In spiritu oris eius, Spiritus sancti intelligimus veritatem.

Sexto, Præfatus error Machometi improbatur ex psalmo *66.* vbi ait Regius Propheta Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Trina enim confessio Dei Trinitatem exprimit personarum. Vnitatem vero essentiæ aperit, cum singulariter subiungit metuant eum omnes fines terræ.

Septimo, Præfatus error Machometi apertissime Lucæ improbatur Euangelio quod ipse tantum comendat. Vnde Dominus Apostolis loquens ait Math. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine vtiq; vt ait Ambrosius in libro de Trinitate Non nominibus vt vnitas essentiæ ostenda-

tur per nomina tria, quæ ſuppoſita ſunt, tres eſſe perſonas declarauit.

Octauo, Præfatus error Machometi confunditur ex illo Ioan. x. vbi ait Chriſtus Ego & Pater vnū ſumus, vt ait Ambroſius, ne fiat diſtinctio poteſtatis naturæ & addidit, ſumus, vt Patrem Fliumq; cognoſcas.

Nono, Eliditur manifeſte error præfatus teſtimonió Beatiſſimi Ioannis Euangeliſtæ, qui in Cronica ſua 1. Io. v. ait Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater Filius & Spiritus ſanctus.

Decimo, Confunditur præfatus error teſtimonio Beatisſimi Pauli, qui Trinitatem perſonarum ac vnitatem euidentisſime comendans ait Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ex ipſo vt ait Auguſtinus in lib. de Trinitate Dei propter Patrem, per ipſum dicit ꝓpter filium; In ipſo propter Spiritum ſanctum. Ecce qualiter vt inquit Auguſt. omnis ſcriptura veteris ac noui teſtamenti diuinitus inſpirata ſi Catholice intelligatur hoc inſinuat Quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus ſit Deus eiuſdem ſubſtantiæ vniuſq; eſſentiæ, atq; inſeparabilis in deitate vnitatis. Magna certè malitia excœcatus videtur fuiſſe Machometus, quoniam tot ſacrarum ſcripturarum laudatarum ab eó ſplendoribus tam clara luce inſinuantibus, in effabilis vnitatis, atque

Tri-

Trinitatis vnitatem illa negare præsumpserit.

Secundus error Machometi reprobatur.
Cap. VIII.



ETERVM, bestialis Machometus, quia non nouit generationem esse nisi carnalem per commixtionem maris & fœminę, negat generationem in diuinis. In hoc secutus Arrium, qui filium Dei creaturam esse dicens manifeste generationem, quæ est opus naturæ in diuinis esse negauit, Quem Machometus insecutus dicit quod Deus non potest habere filium, ad quem errorem confirmãdum duo inducit stulta argumenta. Primũ est quod Deus non habet vxorem. Secundum quod si haberet filium totus mundus esset in periculo, quia esset schisma inter eos. Contra hunc errorẽ dimicaturi Imprimis animaduertendum, & exhortandum esse putamus, quod qui audit Christianam fidem asserere generationem in diuinis, atq; Deum filium habere non tantum nefas concipiat vt existimet Deum ex connubio, & permixtione fœminæ alicuius filium procreasse, quod nõ facit, nisi animal corporale mortiq; subiectũ

Deus

Deus autem, cum solus sit æternus cui commiscere se potuit? &c. aut cum esset tantæ potestatis vt quicquid vellet, efficeret, vtiq; ad producendum filium alterius societate non indiguit. Reprobaturi ergo hunc Machometi errorem, & aliorum quos imitatur negantium generationem esse in diuinis, procedemus.

Imprimis rationibus aliquibus conuenientiam & probabilitatem fidei nostræ persuadentibus. Secundo loco efficacius, sacrarum literarum apertissimis testimonijs. Primo ratione sic planum quidem est, cum generatio communicatio naturæ sit, illi maxime cõuenit, quod maxime cõmunicabile est. Summum autem bnnum, quod Deus est maxime communicatiuum sui est. Ergo maxime generatio sibi conuenit. Vnde Dionisius maximus apud Græcos lib. de D. N. cap. 4. Qđ ex causis amoris summi non finit ipsum sine germine esse, germinare autem generare est si fortassis aliquis contradiceret, quod hoc generare diuinum, sit in diuersitate substantiæ & naturæ vt intellexit Arrius secundum illud Gen. 2. Et hæ sunt generationes cæli & terræ. Hoc nihil est, quoniam ex quo generatio est communicabilis naturæ diffusio, & hic est actus ipsius boni Quoniam vt ait Plato: Boni est bona adducere, & optimi optima, consequenter sequitur Quod optimæ

natu-

naturæ communicabili optima communica tio attribuatur, Hoc est per generationem vniuocam maxime cum apud omnes Philosophos æquiuocum non possit esse primum Ergo generatio est in diuinis.

Secundo sic iuxta Arist. 2. Meth. Natura est ex qua pullulat pullulans vis Ergo principalis naturæ & generalis est pullare; Hoc enim accipit à prima omnium & generali causa Oportet ergo quod hæc vis sit in causa prima. Vis ergo pullulandi vnum ex alio secundũ analogiam sibi conuenientem erit in Deo, qui causa prima est & propter hoc est Quod Dionysius lib. de D. N. filium & spiritum sanctum vocat diuinos flores & diuina lumina. Vnde etiam Boetius dicit quod natura est vis insita rebus Ex similibus similia procreans ergo idem quod prius scilicet quod generatio fit in diuinis. Præterea tertio sic dicit Philosophus; perfectum vnum quodq; dicimus cum potest facere alterum quale ipsum, si ergo hic est actus & signum perfecti; attribuitur vtiq; summe perfecto, maxime quod est Deus non facit alterum quale ipsum est nisi per generationem ergo generatio Deo conuenit: Ad intelligentiam vero qualis sit generatio quæ à Christianis in diuinis esse creditur.

In primis est considerandum sicut in parte iã diximus derisibilem esse derisionem quam

Machometus suiq; sequaces Saraceni siue Turchi Christianos irrident dicentes Deum Patrem habere filium, quasi quod Deus vxorem habuerit. Cum enim sint carnales nō possunt nisi ea quæ carnis sunt & sanguinis cogitare. Cuilibet ergo Sapienti notum est quod non est idem generationis modus in omnibus rebus sed in vna quaq; re inuenitur generatio secundum proprietatē suæ naturæ. In aliquibus quidem animalibus per maris & fœminæ commixtionem. In plantis vero per pullulationem siue per germinationem in corporibus luminosis per diffusionem, sicut videmus lucem in corpore luminoso, quod est Sol, ex se gignit globos lucis, & radios, quorum globorum quilibet est tantus quantus est Sol quos ex se gignit sine sui diminutione, & mutatione, Et formaliter eiusdem sunt essentiæ, & lucis cum Sole, atq; in alijs rebus aliter, Deus autem non est carnalis naturæ vt fœminam requirat, cui commisceatur ad prolis generationem sed est spiritualis & intellectualis naturæ, Immo magis super omnem intellectum est Ergo in Deo accipienda generatio secundū quod conuenit intellectuali naturæ & quamuis intellectus noster ab intellectu diuino deficiat, non possumus tamen aliter loqui de intellectu diuino nisi secundum similitudinē eorum quæ intellectu nostro inuenimus. Est

autem

autem aliquando intellectus noster in potentia, aliquando in actu, quando autẽ actu intelligit, quoddam intelligibile format, qđ est quasi proles ipsius, vnde & sicut vox significans mentis conceptum, verbum exterius dicitur ita interior ipse mentis conceptus exteriori verbo significatus dicitur verbũ mentis, hic autem mentis nostræ con ceptus non est ipsa mentis nostræ substãtia siue essentia, sed est quoddam accidens ei, nec ipsum nostrum intelligere est ipsum esse nostri intellectus, alioquin nunquam intellectus esset in potentia quoniam semper intelligeret. Verbum ergo, nostri intellectus secundum quandam similitudinem dici potest vel conceptus vel proles, & præcipue cum intellectus noster se ipsum intelligit, inquantum scilicet est quædam similitudo intellectus procedens ab eius intellectuali virtute, sicut filius habet similitudinem patris in quantum est procedens ab eius generatiua virtute, non tamen proprie verbũ siue proles nostri intellectus potest dici filius, quia non est eiusdem naturæ cuius est intellectus noster, non autem omne quod procedit ab alio etiamsi sit ei simile dicitur filius, alioquin imago sui quam quis depingit proprie filius diceretur quod non est ve rum, sed adhoc quod filius sit, requiritur qđ procedens ab alio similitudinem eius habeat

beat à quo procedit, & sit eiusdem naturæ cum eo: quia vero in Deo non est aliud intelligere quàm suum esse, consequenter nec verbum quod intellectu est conceptum, est aliquod accidens, vel aliquod alienum ab eius essentia siue natura, sed ex hoc ipso, qđ verbum est habet rationem procedentis ab altero vt sit eius cuius est verbum. Hoc etiã in verbo nostro reperitur, sed illud verbum habet vlterius quod non sit aliquod accidens, nec aliqua pars Dei, quia simplex est, nec aliquod alienum à diuina natura sed quoddam complementum subsistens in diuina natura habens rationem procedentis ab alio, sine hoc enim, verbum intelligi non potest; hoc autem secundum humanæ locutionis consuetudinẽ filius nominatur, quod est procedens ab alio in similitudinem eius subsistens in eadem natura cum ea: secundũ ergo quod diuina verbis humanis nominari possunt; verbum intellectus diuini filiũ Dei nominamus; Deum autem cuius est verbum nominamus Patrem & processum ipsius dicimus generationem esse filij. Vnde Anselmus in Monologiam dicit, quod essentia prima cum intelligit se, dicit se, & intelligentiam diuinam dicere se, est Patrem generare, & filium generari. Et hoc etiam sentit Augustinus super Genes. dicens. Quod Deum dicere verbum est ipsum Patrem generare

nerare filium. Hunc generationis modum in diuinis esse sacræ literæ nos docent in quibus cautum est filium Dei esse verbum Dei. Vnde Propheta psal. 32. inquit verbo Domini cœli firmati sunt glos. idest filio Patris. Item psal. 44. Ex persona Dei Patris dicitur Eructauit cor meum verbum bonũ, quia non de extrinseco genui coniugio, sed de corde meo, sicut homo generat Consiliũ de corde, tanquam scit quod facturus sit cõsilium est. Consilium ergo Patris est filius, quem ante omnia creata Pater ex se genuit, & est sensus Eructauit cor meum verbum bonum idest, ex plenitudine mea, & secreta essentia genui verbum idest filium qui dicitur verbum, quia per eum Pater notus est Quod verbum dicitur bonum, quia Dei Filius in natura sua bonus, sic solus bonus est cum Patre & Spiritu sancto. Vnde nemo bonus nisi solus Deus, est bonum hoc verbũ quia per eum omnia bona facta sunt. Item testatur idem Sapiens Eccl. 24. vbi ex persona diuinæ Sapientiæ dicitur Ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Beatissimus quoq; Ioannes Euangelista simili modo hanc generationis dictæ seriem explicat dicẽs, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & hoc erat in principio apud Deum & Deus erat verbum, & hoc erat in

prin-

principio apud Deum. In quibus verbis B. Euangelista manifeste & perlucidè nobis infinuat dictum generationis modum. In primis quidem explicat filij à Patre æternam generationem Cum dicit in principio, ideſt, in Deo qui ab omnibus profitetur primum principium. Erat verbum ſicut ſupradiximus ab eo ſcilicet procedens in ſimilitudinem eiuſdem naturæ. Secundo notat perſonalem diſtinctionem ibi cum ait Et verbũ erat apud Deum. Tertio Patris & Filij cõſubſtantialitatem ibi, & Deus erat verbum oſtendit eorum coæternitatem ibi Et hoc erat in principio apud Deum ideſt coæternum ipſi Deo, & ita ut ait Auguſtinus ſuper Io. ſerm. xx. non deficit aliquid generanti quia nec tempus quæſiuit vt generaret quẽ genuit coæternum, neq; matrem quæſiuit, vt generaret, qui de ſe protulit verbum, neque Pater generans ætate præceſſit filium vt minorem filium generaret. Ex quibus omnibus ſatis aperte nos oſtendiſſe putamus qualiter ſit ſumenda generatio, quam notabilis & ſapiẽtiſſima religio Chriſtiana aſſerit in Deo non materialis quidem & corporalis prout beſtialis Machometus argumentabatur, ſed formalis, & intellectualis ſecundum ſimilitudinem intellectus modo iam explicato. Vnde & populo poluit paternum intellectum, & formam ex ipſo

for-

formatum dixit Architipum ad omne opus: & August. dicit est ars plena rationum omnium viuentium delucidata; iam diuinæ generationis serie prout potuimus, qui de tam excellenti re verba habere non possumus vt dicit Gregorius, sed vt possumus balbutiendo Diuina resonamus; Et Dionysius lib. de D. N. cap. 1. ait, Cum ad Diuina venimus perfectam inuenimus irrationabilitatem, idest ineffabilitatem: Et Ambros. Ego nō possum sustinere generationis secretum silet vox non mea tantum, sed, & Angelorum. Vnde Isaias 54. generationem eius quis enarrabit? quasi diceret nullus; consequens iam est ad pleniorem prædicti erroris perfidi Machometi inducere aliqua sacrarum Scripturarum testimonia, quæ ipse Machometus comendat & acceptat, licet ex supradictis satis videatur reprobatus. Ait enim Propheta Dauid de Deo & Christo loquens psal. 2. Astiterunt Reges terræ, scilicet Herodes qui dictus est Rex Gallileæ Mat. 6. & Pontius Pilatus qui tenebat pro tunc locum Imperatoris, vnde & Centurio sub eo constitutus vocatur Regulus Io. 4. Et Principes scilicet Sacerdotum Annas, Caifas conuenerunt in vnum idest in vnam voluntatē interficiendi Christum, Aduersus Dominum idest aduersus Deum Patrem, qui enim contradicit Filio & Patri contradicit, & aduer-

ſus Chriſtum eius, & infra in perſona Chriſti adiungitur Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te, Ego hodie ideſt in æternitate ideſt nihil tranſit in præteritum nec expectatur in futurum. Ideo æterna generatio Filij à Patre conueniēter exprimitur per præſens tempus per quæ verba manifeſtè probatur generationem eſſe in Diuinis, Tum quia de nullo alio verificari poſſum, niſi de filio Dei quem Pater naturaliter, & æternaliter genuit, Tum quia Apoſtolus Paulus ad Hebræos ſcribens hac auctoritate vſus eſt ad litteram ad probandū Chriſtum filium Dei naturalem.

Secundo, Idem oſtenditur ex pſalmo 109. vbi ex perſona Patris eſt ſermo ad filium Tecū principium. Ideſt ſum ego & tu vnum ſumus principium omnium quod hic non videtur, ſed videtur in die virtutis tuæ ideſt in ęternitate quod eſt dies ſine nocte vbi virtus Diuina conſpicitur non ab omnibus tamen ſed à Sanctis quando in Reſurrectione erunt ſplendidi vt Angeli Dei. Vnde ſequitur In ſplendoribus Sanctorū ideſt quando Sancti erunt ſplendore fulgētes ſicut Sol in Regno Patris ex vtero ideſt ex occulta & ſecreta ſubſtantia mea genui te ineffabiliter, Et hoc ante Luciferum ideſt ante omnem creaturam & ante omnia tempora, Ex qua auctoritate lucidiſſimè Fidei Catho

licæ

licæ veritas ſplendet & confutatur error Machometi.

Tertio, Ad idem eſt illud Prouerb. 8. vbi ex perſona diuinæ Sapientiæ genitæ ideſt verbi Dei ſiue filij Dei. Et nondum erant abiſſi & ego iam concepta eram, & ante omnes colles ego parturiebar, ideſt, gignebar, & ſequitur & eram cum eo cuncta componens; vbi expreſſe explicatur æterna genitura filij Dei qui vt inquit Apoſtol. Paulus Dei virtus & Dei ſapientia eſt.

Quarto, Ad idem eſt illud Prouerb. 3. vbi de quodam dicetur Noui Sanctorum ſcientiã, & ſequitur ſtatim Quis aſcendit in cœlum atq; deſcendit? Quis continet Spiritum in manibus ſuis? quis colligauit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitauit omnes terminos terræ: quod nomen eſt eius & quod nomen filij eius ſi noſti? vbi manifeſtè de æterna generatione loquitur, cum de nullo niſi de Deo contenta in hac auctoritate verificari poſſint, attendẽdum tamen quod Deus deſcendere & aſcendere dicitur Traſcendendo eorum poteſtatem & in terris deſcendere habens omnium inferiorum cognitionem & omnia tam ſuperiora quàm inferiora diſponens iuxta illud ſapientiæ 8. Attingit à fine vſque ad finem omnia ſuauiter diſponens.

Quinto, Confutatur error prædictus, Ex illo

Isaiæ 66. Si ego qui generationem cunctis tribuo sterilis ero dicit Dominus Deus, quasi diceret non.

Sexto, Idem colligitur ex Euangelio ait enim Ioannes 8. Christus, ego ex Deo processi & veni in mundum, nec enim à me ipso veni; vbi notatur primo processio ex Patre, æterna in qua est Filius vnigenitus Patri coęqualis, secundo notatur aduentus eius in carnem in quo homo factus cum hominibus est humiliter conuersatus. Multa alia testimonia aduersus hunc errorem prætermittimus gratia breuitatis, & quia hæc quæ inducta sunt potentissime militant aduersus illum. Ex quibus apertissimè patet quàm stulta sint inducta argumenta Machometi contra generationem filij Dei. Primũ quidem cum dicebat, quod Deus non habebat filium quia non habuit vxorem; stultum est, vt enim ostendimus in principio capituli Deus non est carnalis naturæ vt fœminam requirat, cui commisceatur ad prolis generationem. Huius enim generis ortum conditio habet caduca mortalium. Christus enim à Patre ita emicuit vt splendor à lumine, vt verbum ab ore, & sapientia ex corde, vt inquit Beatus Ambrosius, Et nos supra ostendimus; secundum etiam cum dicit, quod si Deus haberet filium totus mundus esset in periculo &c. Planè vt amens lo-

quutus supponit enim falsissimum, scilicet quod Deus non posset habere filium nisi malum,& contumacem & inobedientem; Profecto cum supra ostenderimus Dei filium verbum Dei esse, per quod omnia operatur & verbum conceptum; nunquam discrepet ab intellectu concipiente, manifestissime in hoc vt bestia omni carẽs ratione locutus est stultus Machometus, nisi blasphemando dicat, Quod Deus à semetipso discordat in suo intellectu, & conceptio sua contradicat ei, Deus autem semper & omnino immutabilis permanet. Hinc psal. Tu autem idem ipse es, idest, semper. Quia vt dicit August. Deus solus immutabilis est, qui nec loco, nec per affectionem nec per tempus mutari potest.

Tertius error Machometi confutatur. Cap. IX.

PERFIDVS Machometus quemadmodum generationẽ in diuinis negat, ita & processionem Spiritus Sancti. In hoc sequutus Arrium & Nestoriũ Hæreticos, ac Macedonium qui Spiritum sanctum non Deum à Patre, filioq; æternaliter procedentem sed creaturam esse dixerunt; aduersus hunc errorem

procedemus ſicut in præcedenti. Inducemus in primis rationes aliquas conuenientes ad hoc. Secundo inducemus teſtimonia ſacrarum ſcripturarum, quas Machometus ipſe commendat, quibus & veritas fidei approbetur, & error prædictus confutetur omnino.

In primis contra prædictum errorem ratione poſſumus ſic arguere; ſicut ſummo bono deeſſe non poteſt diffuſio naturæ per generationem vt in præcedenti capitulo probatū eſt, ita dulcedini ſummi boni deeſſe non poteſt diffuſio ſummi boni per voluntatem, quia aliter non videtur in eo eſſe ſumma delectatio, ſed intima & dulciſſima diffuſio per amorem, eſt amor, ergo amor diffunditur à ſummo bono; ſed regulariter verum eſt, quod qui procedit à Deo manens in Deo Deus eſt, & per hoc quod eſt ab alio exiſtendi modum habet proprium, quod dicitur ab eo à quo eſt, ergo amor ille ſic à Deo procedens, & Deus eſt, & perſonali proprietate diſtinctus ab eo à quo eſt, & ſic Spirrtus ſanctus procedit, & proceſſio ſua eſt. Secundo ſic, omne bonum in Deo in ſummo eſt, bonū autem naturæ in diffuſione & in ſummo eſt, Quoniam in ſumma diffuſione eſt; ſumma autem diffuſio eſt, Quod ex ſe per generationem producat æqualem ſibi, quia diffundere ſe diffinitio eſt boni & eſſentialis actus

eius est, Ergo etiam ex parte voluntatis eius summum bonum summo affectu & optimo erit diffusiuum sui, & productiuum sibi æqualis; quia aliter non esset summum, producet ergo amorem, qui ex hoc, quod est ab alio, proprium habebit existẽdi modum: per hoc autem quod in Deo est, & ei à quo producitur æqualis; oportet quod Deus sit, & per hoc quod non per generationem producitur sed per voluntatis affectum oportet q̃d non filius sit, talis igitur amor sic procedens ab amante & distinctus est personali proprietate & Deus est & pater non est, nec filius, sed vtriq; æqualis, & talem processionẽ vocamus processionem Spiritus sancti.

Tertio sic constat quod summum bonum est summè largum, siue vt proprius loquamur magnificum, Dicit autem Philosophus 4. Ethic. quod largi & magnifici est in amore & dilectione: dare oportet igitur quod ante omne donum quod dat amor & delectatio procedant ab ipso quia aliter non esset commendabilis largitas & magnificentia eius, nec essent secundum optimum modum ergo à summo & magnifico ante omne donum eius præcedit amor. Vnde August. dicit, Quod amor est donum à quo omnia alia dona donantur, sed quod procedit ab alio singularem habet modum existendi, & quia amans intrinsecus est necesse est esse Deum,

quia nihil est in Deo nisi Deus, & quia summus est de necessitate ei à quo est æqualis est. Præterea pro pleniori notitia huius veritatis considerandum est quod omnem cognitionem sequitur aliqua appetitiua operatio: Inter omnes autem appetitiuas operationes inuenitur amor esse principium: cũ ergo in Deo sit perfectissima cognitio, oportet etiam in Deo ponere perfectum amorẽ, In quo quidem processus per appetitiuam operationem exprimitur sicut, & in verbo per intellectualem operationem intellectus: Est autem attendenda differentia quædam inter operationem intellectualem & apetitiuam: nam operatio intellectualis, & omnis cognitiua operatio adimpletur per hoc quod cognoscibilia in cognoscente quodãmodo existunt scilicet sensibilia in sensu, intelligibilia in intellectu: Operatio autem apetitiua completur secundum quendam ordinem vel motum ad res appetitui obiectas; ea vero quæ habent occultum principium sui motus spiritus nomen accipiunt, sic enim venti spiritus dicuntur, quia eorum afflationis principium non apparet, respiratio etiam aut arteriarum motus ab intrinseco & occulto principio procedens spiritus nomen accepit, vnde conuenienter secundum quod diuina humanis verbis significari possunt, Ipse diuinus amor procedens,

ſpiritus nomen accepit; ſed in nobis amor duplici ex cauſa procedit, quandoq; quidē ex corporea & materiali natura, qui plerumq; eſt amor immundus, quia per eũ puritas mentis perturbatur; quandoq; autem ex ipſa proprietate naturæ ſpiritus ſicut cũ amamus intelligibilia bona, & quæ rationi conueniunt hic eſt amor purus: In Deo autem amor corporalis & materialis locum non habet. Conuenienter ergo amorem ipſius Dei non ſolum ſpiritum ſed ſanctum dicimus, vt per hoc quod dicitur Sanctus puritas exprimatur. Manifeſtum eſt autem quod nihil amare poſſumus intellectuali, & ſancto amore, niſi quod actu per intellectum concipimus. Conceptio autem intellectus vt ſupra diximus in præcedenti capitulo eſt verbum, vnde neceſſe eſt quod amor à verbo audiatur. Verbum autem Dei dicimus eſſe filium, ex quo patet Spiritum ſanctum eſſe à filio, ſicut autem diuinum intelligere eſt eius eſſe: Ita etiam amare Dei eſt eſſe ipſius: & ſicut Deus ſemper actu intelligit, ita etiam ſemper amat, & omnia amat ſuam bonitatem amando. Sic igitur Dei filius, qui eſt verbum Dei & ſubſiſtens in natura diuina, & coæternus eſt Patri & perfectus, & vnus Deus; ita hæc omnia de Spiritu ſancto confiteri oportet.

Ex his autem colligere poſſumus quod cũ omne

ne quod subsistit in natura Intellectuali apud nos persona dicatur, apud Græcos autem hypostasis necesse est dicere; quod verbum Dei, quod filium Dei nominamus sit quędam hypostasis siue persona, & idem de Spiritu Sancto dici debet. Nulli ergo dubium quin Deus, à quo verbū, & amor procedunt sit res subsistens, vt sic etiam dici possit hypostasis vel persona, & per hunc modū conuenienter ponimus in Diuinis tres personas, scilicet personam Patris, personam Filij, & personam Spiritus Sancti. Has autem personas non dicimus per essentiā esse diuersas, sed per solas relationes distinctas, quæ ex processione Verbi, & amoris prouenīūt, & ita Christiana Religio tres distinctas personas in Diuinis confitens non tres Deos credit, aut fatetur, sicut perfidus Machometus opinatus est: sed Patrem & Filium, & & Spiritum Sanctum vnum esse naturaliter Deum, nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec Filiū esse qui Pater est, nec Spiritum Sanctum esse, qui est Pater, aut qui Filius est. Vna est. n Patris, Filij, & Spiritus sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus. Quamuis personaliter alius sit Pater, alius sit Filius, alius sit Spiritus sāctus. Fūdata iā rationibus cōueniētibus veritate fidei Catholicæ, circa processionem, & diuinitatē Spiritus sancti. I

Supereſt ſecundo loco aliquibus ſacrarũ Scripturarum, quas Machometus acceptat, & laudat teſtimonijs, quod de Spiritu ſancto diximus magnifice confirmare, cõfutando inde præfatum Machometi errorem. In primis eſt illud Geneſ. 1. vbi dicit, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, vbi Spiritus non poteſt intelligi, niſi Spiritus, qui eſt Deus, cum hoc dicatur in exordio creationis, quando nondum aliquid erat creatũ.
Secundo confutatur error Machometi ex illo Prophetæ pſal. 32. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vbi conſtat quod propheta loquitur de creatione mundi, quæ fuit à ſolo Deo facta, nullo interueniente adiutorio, aut inſtrumẽto extrinſeco. In qua auctoritate manifeſte teſtatur, quod verbo Dei cœli firmati ſunt, ita quod Deus per verbum ſuum cœlos fecit; ſimiliter & teſtatur, quod Deus per Spiritum oris ſui fecit, ſeu creauit omnes virtutes eorum. Cum autem de ratione Verbi ſit quod diſtinguatur à dicente, ſiue proferente, & ſimiliter de ratione Spiritus eſt quod diſtinguatur ab inſpirante, perlucidè ſequitur, quod Spiritus per quem virtutes cœlorum factæ fuerunt, ſit perſonaliter diſtinctus ab inſpirante; quod eſt propoſitum. Vnde Gloſ. ſuper illud, Et Spiritu oris eius, dicit, id eſt Spiritu Sancto, qui à

Fi-

Filio procedit, qui est os Patris, est solidata virtus cœlorum.

Tertio. Confutatur error præfatus ex illo Iob. 33. Spiritus Domini fecit me, & spiraculum Omnipotentis Dei viuificauit me. Constat autem, quod facere hominem, & viuificare hominem solius Dei sit, ergo Spiritus sanctus qui fecit, & viuificauit hominem est, & Deus est.

Quartus. Confutatur error præfatus per illud Isaiæ 48. vbi Propheta in persona Christi loquens ait: & nunc Dominus Deus misit me & Spiritus eius, vbi apertè designatur mysteriū Trinitatis, quia hic expresse dicitur Deus missus à Deo, & Spiritu eius, inter missum, & mittentem est personalis distinctio; & sic apparet distinctio personalis ipsius Filij missi à Patre, & Spiritu sancto, à quibus missus est in carnem pro mundi salute, & ita habetur etiam propositum, quod Spiritus sanctus Deus sit, qui misisse dicitur Christum, & multa sunt alia Prophetarum testimonia ad idem astruēdum propositum, à quibus supersedemus gratia breuitatis. Iam igitur ex Euāgelio pręfatum errorem confutemus. Habetur enim Matthæi 1. cap. de S. Virgine, quod inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Item Luc. 1. dicitur ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Item Luc. 2.


dici-

dicitur : Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto,& Luc. 3. dicitur, Descendit Spiritus sanctus corporali specie super Christũ. Item Ioan. 9. dicit Christus, Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Quæ omnia cum nulli possint conuenire,nisi Deo luce clarius ostenditur,quod Spiritus sanctus sit Deus, & vna in Trinitate persona.

Sunt etiam ad hoc alia testimonia in sacra Scriptura, quæ longum esset omnia notare. Cęterum eadem veritas apertè colligitur ex dictis ipsius Machometi, qui in suo Alcorano,de Spiritu sancto ex persona Dei sic dicit, Dedimus Iesu Filio Mariæ, qui faceret prodigia, & mirabilia manifesta, & perfecit eum per Spiritum sanctum. Item dicit de B. Virgine, Insufflauimus in ea de Spiritu meo, & pluribus alijs locis similia loquitur de Spiritu sancto. Quęritur ergo ab ipso Machometo, & eius Discipulis, quis sit iste Spiritus sanctus de quo loquitur, non possunt dicere, quod sit aliqua creatura, vtpotè Angelus propter tria, primo quia singulariter de vno loquitur, Angeli verò plures sunt; & cum omnes Angeli sint Dei, non apparet causa quare de illo singulariter diceret: Nostro, & Sancto: Secundo, quia non esset magna in hoc Christi commendatio, quem tamen Machometus in

illis verbis singulariter intendit commendare, cum commune sit omnibus hominibus Angelum habere deputatum. Tertia ratio, & efficacior, quoniam Angeli non sanctificant hominem, sed ipse solus Deus. Si verò Machometus, & sui sequaces respondeant, quod Spiritus sanctus à Deo datus Iesu Christo, & B. Mariæ, de quo loquitur sit verus Deus, cum aliud dicere non possit, habetur propositum; scilicet, quod in Diuinis sit vna personarum, scilicet verus Deus à Patre, & Filio æternaliter procedens, & temporaliter datus Christo, & B. Virgini, quod Christiana Religio tenet, & docet.

Quartus error Machometi reprobatur. Cap. X.



AMPLIVS perfidus Machometus grauissimè errans, negat Incarnationis mysterium, dicens, illam non fuisse necessariam pro humana liberatione, siue redemptione, quia Deus, cũ Omnipotens esset, sine carnis assumptione humanum genus redimere poterat. In confutatione præsentis erroris Machometi, & sequacium eius tenentes ordinem in aliorũ errorum confutationibus, obseruatum. In primis elucidabimus veritatem fidei Ca-

tholicæ. In secundo inducemus testimonia contra errorem præfatum ex fundamentis ipsis, quæ ipse Machometus acceptat.

Circa primum, hoc præsupponendum primo venit tanquam indubitabile fundamentum, videlicet humanam Naturam lapsam esse ab eo statu in quo fuit condita, quod notatur cum dicit Saluator Matth. 18. Venit Filius hominis saluare quod perierat, quod etiam ostendit in parabola ouis centesimæ, quæ perierat, quam quærit donec inueniat, per quam designat humanam naturam, quod etiam ratione ostenditur ex ipsa morte, quæ homini nullo modo contigisset, nisi peccasset; nequaquam enim æstimandum est Deo conuenire, vt dicit Anselmus, vt Creaturam, quam fecit iustam ad Beatitudinem ordinatam sine peccato, miseram esse cogat, hominem autem mori miserum est. Si ergo Deus exigit mortem ab homine sub statu, sub quo nunc est, ergo est sub culpa, ergo manifestum est, quod Natura humana lapsa sit a statu suæ primæ conditionis. Quo circa dicit Apostolus ad Rom. 2. Quia per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiuit; de quo etiam Machometus loquens ait, quod à Deo Adã minime præceptum operatus, ius mortale subijt. Secundo præsupponitur, quod natu-

ra humana lapsa reparabilis esset, & ita reparanda; quoniã ita fuit conueniens, quantum ad ipsum Deum, quia in hoc manifestatur misericordia Dei, potentia, & sapientia. Misericordia quidem siue bonitas, quia proprij psalmatis infirmitatem non despexit. Potentia vero, in quantum nihil frustra fecisse inuenitur. Finis enim, ad quem facta est humana natura est, vt videat Deum, & fruatur eo; Cum autem ad hunc finem peruenire non potuisset, nisi reparata fuisset, congruum fuit illam reparari; Præterea etiam hoc congruit ex perfectione vniuersi, quod totum quodammodo ad salutem hominis ordinatur. Ad videndum autem si necesse fuit ad hoc diuina incarnatio sciendum est hoc firmiter tenendum esse constantissima fide, quod licet necessitate absoluta, qua dicitur aliquod necessarium, sine quo aliquid esse non potest, Dei incarnatio necessaria non fuerit, quoniam Deus per suam omnipotentem virtutem, cui non est impossibile omne verbum, poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Nihilominus tamen illo genere necessitatis, quo aliquid dicitur necessarium, per quod conuenientius, siue congruentius ad finem peruenitur; filij Dei incarnatio necessaria fuit ad humanæ naturæ reparationem. Et hoc est, quod B. Aug. 13. de Trinit. dicit, Ostendamus,

damus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati, omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem alium modum non fuisse. Præsupposito igitur primi hominis lapsu, probatur rationibus conuenientibus, quod Dei incarnatio necessaria fuit, & congruentissima; Necessitas verò patet sic. Redemptio est contractus Iustitiæ commutatiuæ, quæ secundum Philosophum 5. Ethic. consistit in æqualitate quantitatis. Principium autem Redemptionis humanæ naturæ æquipollens culpæ non potest esse nisi ipse creator, & nõ sola creatura, & hoc propter tres rationes simul iunctas, scilicet propter valorem redimendi à captiuitate, hoc enim fuit tota natura humana in omnibus suis indiuiduis, cui nulla creatura æquatur. Secundo propter infinitatem offensæ, quia cum contemptus magnitudinem sumat ex obiecto, vt patet in humanis, patet quod contemptus Diuinæ Maiestatis, habet sibi annexum reatum infinitum, cui non potest æquari meritum cuiuscunq; creaturæ puræ, cum omnis talis sit virtutis finitæ. Sed oportet, quod meritum creaturæ, sit opus Dei per vnionem creaturæ cum Deo, vt sic accipiat virtutem infinitam. Tertio propter inopiam creaturæ, quæ nihil habet boni, quod suũ sit, sed totum est Dei, & ideò cum se ipsam totã teneatur im-

pendere Creatori pro nullo poteſt ſatisfacere, ſecundum rationem ſtricti iuris, & hoc eſt quod dicitur in pſal. 47. Frater, ideſt Chriſtus qui eſt primogenitus in multis fratribus non redimet? &c. ideſt, nunquid non poterit redimere? &c. & redimet homo? ſcilicet purus; quaſi diceret, non, & non dabit, ideſt non poterit dare Deo placationem ſuam, ideſt precium animæ ſuæ condignum; multò ergo minus dabit placationem pro tota humana natura; Congruentia autem Incarnationis Diuinæ arguitur, & ex parte Dei Redemptoris, & ex parte hominis redempti. Ex parte quidem Dei, ex tribus, ſcilicet ex plenitudine diuinæ miſericordię. Secundo ex immobilitate diuinæ iuſtitiæ. Tertio ex decenti ordine ſapientiæ eius; quia enim Deus eſt ſummè bonus, & miſericors, decuit vt nulli denegaret hoc cuius capax erat; Vnde cum natura lapſa eſſet, & nihilominus reparabilis foret decuit, vt eam repararet, quia etiam Iuſtitia eius immutabilis eſt, cuius lege ſancitum eſt, vt nunquam peccatum ſine ſatisfactione dimittatur, decuit, vt in humana natura inſtitueret eum, qui ſatisfacere poſſet quia hoc purus homo per ſe facere non poterat vt ſupra iam oſtendimus; quia verò ſummè ſapiens eſt conuenientiſſimum modum reparationis adinuenire debuit; modus autem conuenientiſſimus

mus est vt integrè natura repararetur, & faciliter ad illud, quod amiserat homo peruenire posset. Si autem hominem per Angelum repararet, non integra esset reparatio, quia semper homo Angelo salutis suę debitor esset, & ita in Beatitudine æquari posset, quod tamen consequutus fuisset, si non peccasset, sicut & nunc assequuntur homines per gratiam reparationis, vt sint sicut Angeli Dei in cœlo Matth. 22. & ideò decuit, vt non Angelus, sed ipse Deus hominem repararet: & hoc est, quod dicit Isa. 43. Ego sum Deus, ego sum Dominus, & nō est absq; me Saluator, & infra, Hæc dicit Dn̄us Deus vester sanctus Israel. Congruentia autem Incarnationis filij Dei ex parte hominis iam redempti accipitur dupliciter, scilicet, quoad promotionem hominis in bonum. Secundo quoad remotionem mali; Quoad promotionem hominis in bonum congruentia fuit, iuxta S. Thom. Primò quidem, quantū ad fidem, quæ magis certificatur ex eo, qđ ipsi Deo loquenti credit. Vnde Augustinus 11. de Ciuit. Dei, dicit, Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit, ac fundauit fidem. Secundo quantum ad spem, quæ per hoc maximè erigitur. Vnde Augustinus 13. de Trinitate, dicit, Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram,

quàm vt demonſtraretur nobis, quantum di ligeret nos Deus. Quid verò huius rei iuſto iudicio manifeſtius, quàm vt Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium? Tertio quantum ad charitatem, quæ maxime per hoc excitatur, vnde Auguſtinus dicit in libro de Cathechizandis rudibus. Quæ maior cauſa eſt Aduentus Domini, niſi vt oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis? & poſtea ſubdit, ſi amare pigebat, reamare non pigebit. Quarto quantum ad rectam operationem in qua nobis exemplũ ſe tribuit, vnde Auguſtinus dicit in quodã ſermone de Natiuit. Domini. Deus ſequendus erat, qui videri non poterat, homo ſequendus non erat qui videri poterat; Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur Deus factus eſt homo. Quinto quantum ad plenam participationem diuinitatis, quæ verè eſt hominis Beatitudo, & finis humanæ vitæ & hoc collatum eſt nobis per Chriſti huma nitatem. Dicit Auguſtinus in quodam ſermone Natiuitatis Domini. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. Secundo accipitur congruentia Incarnationis ex parte hominis Redempti quoad remotionem ma li. Primo quidem quia per hoc inſtruitur ho mo ne ſibi Diabolum præferat & eum veneretur qui eſt auctor peccati, vnde dicit Auguſtinus

ſtinus 13. de Trinit. quando ſic Deo coniun
gi potuit humana natura vt fieret vna per-
ſona ſuperbi illi maligni Spiritus, non ideo
ſe audeant homini præponere quia non ha-
bent carnem. Secundo quia per hoc inſtrui
tur homo quanta ſit dignitas humanæ natu
ræ ne eam inquinemus peccando, vnde di-
cit Auguſtinus in lib. de vera religione de-
monſtrauit nobis Deus quem excelſum lo-
cum inter creaturas habeat humana natu-
ra in hoc quod hominibus in vero homine
apparuit; & Leo Papa in ſerm. natalis Do-
mini, Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuã
& diuinæ conſors factus naturæ noli in ve-
terem vilitatem degenera conuerſatione
redire. Tertio quia ad præſumptionem ho
minis tollendam gratia Dei nullis meritis
præcedentibus in nomine Chriſti nobis cõ-
mendatur vt dicitur in 3. de Trinit. Quarto
quia ſuperbia hominis quæ maximum im-
pedimentum eſt ne inhæreatur Deo per tan
tam Dei humilitatem redargui poteſt atq;
ſanari vt Auguſt. dicit ibidem. Quinto ad
liberandum hominem à ſeruitute, Quod
quidem vt Auguſt. dicit 13. de Trinitat. fieri
debuit ſic, vt Diabolus iuſtitia hominis Ieſu
Chriſti ſuperararetur, quod factũ eſt Chriſto
ſatisfaciente pro nobis: Homo prius ſatiſ-
facere non poterat pro toto humano gene-
re, Deus autem ſatisfacere non debebat, vn

de oportebat Deum & hominem esse Iesum Christum. Vnde Leo Papa in serm. de natiuit. Domini; suscipitur à Maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendum conditionis nostræ debitum, natura immortalis naturæ est vnita passibili, Deusq; verus & homo verus in vnitate temperatur, vt quod nostris remedijs congruebat vnus atq; idem hominũq; mediator & mori possit ex vno, & resurgere ex altero: nisi enim esset verus Deus non afferret remedium, nisi esset verus homo non præberet exemplum. Illustrata iam fidei Catholicæ Religionis Christianæ super est inducere aliqua diuinarum scripturarum testimonia idonea quibus & veritas Catholicæ fidei omni errore sublato firmissima ostendatur; & error prædictus perfidi Machometi manifeste exprobetur: ait enim Isa. Proph. Isa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomẽ eius Emanuel quod interpretatur nobiscum Deus, quia verbum Dei caro factum est & habitauit in nobis Io. pri. 2. & idem Propheta cap. 9. vbi Incarnationis mysterium prosequẽs ait Puer natus est nobis & filius datus est nobis cuius Imperium super humerum eius & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis Pater futuri sæculi, seu sempiterni, Princeps pacis: vbi plene describi-

tur

tur Incarnationis myſterium. Primo quidem in ipſo Redẽptore deſignatur humana natura cùm dicitur: Paruulus natus eſt nobis, quia in humanitate qua paruulus fuit, natus eſt nobis tẽporaliter & loquitur Propheta de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ. Secundo deſignatur in eo diuina natura, ſecundum quam non eſt natus temporaliter, ſed datus eum, dicitur & filius naturalis ipſius filij Dei Patris datus eſt nobis, ſecundum quod dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnigenitũ daret Datus eſt ergo ex diuinitate natus ex Virgine, natus qui ſentiret Occaſum. Datus qui neſciret exordiũ; natus qui & matre eſſet iunior, datus quo nec Pater eſſet antiquior: Natus qui moreretur, Datus ex quo vita naſceretur. Tertio Tangitur paſſionis ſuæ efficacia eum ſequitur, cuius Imperium ſuper humerum eius Crucem ſibi baiulãdo, vt dicitur Io. 19. Per quam poteſtates aereas debellauit, & regnũ ſuum potenter intrauit ſecundum illud Lucæ vltimo: oportuit pati Chriſtũ, & ita intrare in gloriam ſuam. Quarto deſcribuntur ſex nomina quibus luce ſplẽdidius patet ꝙ paruulus ille nobis natus, fuerit ver⁹ Deus. Primũ nomen eſt Admirabilis, ſcilicet in miraculis faciendis omnẽ facultatẽ naturæ ſupergredientibus. Secundũ eſt Conſiliarius

vt Doctor perfectionis Consilia Ecclesiastica præceptis Decalogi superaddendo. Tertium est Deus. In quo demõstratur manifeste eius Diuinitas. Quartum est fortis Infernum spoliando. Quintum est Pater futuri seculi Electos ad Ciuitatem cælestem admittendo, Sextum est Princeps pacis scilicet æternæ quantum ad conscientiam, & supernæ quantum ad cœlestem gloriam: propter quod in eius natiuitate Angeli cantauerunt Gloria in Excelsis Deo, & in terra &c.

Tertio eadem veritas Catholicæ fidei solidatur, & confunditur error perfidi Machometi, per illud Isa: 33. vbi ait Propheta: Dominus enim Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, Ipse veniet & saluabit nos, vbi expresse designatur Aduentus Dei in carne pro humani generis saluatione.

Tertio eadem veritas fidei patet, & error Machometi confunditur, ex illo Isaię 45. verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator, & infra de qua saluatione loquatur insinuans ait: Israel saluatus est in Domino Idest per virtutem omnipotentis Dei salute æterna; hoc autem non potest exponi de aliqua saluatione temporali filiorum Israel, quia nullam talem in præteritis temporibus filij Israel habuerunt.

Quarto Confunditur prætextus error per Prophetam

phetam Ieremiam,qui de Incarnationis my
ſterio ait Ierem. 23. Ecce Dies veniunt di-
cit Dominus & ſuſcitabo germen Iuſtum,
ideſt Chriſtum qui factus eſt Rex ex ſemine
Dauid ſecundum carnem. Rom. 1. & regna-
bit Rex propter quod dicitur Matt. vltimo
Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in
terra,& ſapiens erit ſapiẽtia increata& crea
ta , & facit Iudicium diſcretionis in præſen-
ti diſcernendo fideles ab infidelibus,vocan-
do aliquos ad fidem & aliquos dimitten-
do iuſto Dei Iudicio, licet nobis occulto,&
Iuditium diſcuſſionis in finem mundi,& Iu-
ſtitiam dando legem Euangelicam,quæ con
tinet perfectam Iuſtitiam,& in fine mundi
proferendo iuſtam ſententiam de retribu-
tione bonorum & punitione malorum,vt ha
betur Matth. 25. ſequitur in diebus illis ſal
uabitur Iuda, ideſt quicunque vere confitẽs
corde & ore nomẽ Domini, & Iſrael habita
bit confidenter.Hoc refertur ad ſtatum Ec-
cleſiæ Triumphantis vbi eſt ſumma ſecuri-
tas,& hoc eſt nomen quod vocabunt eum,
Deus Iuſtus noſter, per quæ nomina cum,
cõuenire poſſent , niſi Deo vero apertiſsima
luce probatur, Quod Redemptor noſter
Chriſtus non tantum homo ſed verus Deus
ſit.

Quinto eadem fidei veritas patet,& confun-
ditur errorMachometi ex illo Prophetæ Ba

ruch,


ruch. dicentis 3.cap. Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius aduerſus eum, hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illã Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo poſt hæc in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt, Cui beatus Ioannes Euangeliſta conſonans eſt Io. 1. Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis.

Sexto eadem fidei veritas teſtimonio Euangelij clariſsima eſt, & erroris Machometi falſitas apertiſsima, dicitur enim Io. 3. ſic Deus dilexit Mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis homo qui credit in eum nõ pereat ſed habeat vitam æternam. Notanter dicit filium non ſeruum, non adoptiuum ſed naturalem & conſubſtantialem vnigenitum, quem de corde ſuo genitum tanquam ſeipſum diligebat daret, ſcilicet ad incarnãdum, vt omnis qui credit &c. Gregorius: O mira erga nos tuæ charitatis dilectio, vt ſeruum tuum redimeres filium tradidiſti. Plura alia teſtimonia induceremus, ſed quia manifeſta ſunt breuitatis gratia inductione eorum ſuperſedemus.



Quin-

Quintus error Machometi confutatur. Cap. XI.



ONSEQVENTER reprobus & perfidus Machometus, licet de Christo multa gloriosa dixerit, vtpote quod esset de Spiritu sancto conceptus, de virgine natus conuersatione Sanctus, miraculorum maximus patrator, dicit enim illum cœcos illuminasse, leprosos mundasse, & mortuos suscitasse, nihilominus lapsus est in errore maximo vt dicat Christum non esse Deum, in hoc sequutus perfidum Hæreticum Nestorium, ad quem fundandum errorem, duobus se fulsit argumentis.

Primum quod inquit, quod Christus hoc de se nunquam asseruit, nec dixisse legitur se esse Deum.

Secundum est, quia dicit Christum dixisse Iudæis, Adorate Deum meum & Deum vestrum, Dominum meum & Dominum vestrum; si vero Christus fuisset Deus talia verba non dixisset, vt ait perfidus Machometus; Quæ quidem hæresis seu infidelitas olim Diaboli machinatione concepta fuit, Primo per Arrium seminata, deinde per Machometum prouecta, per An-

tichri-

tichriſtum verbo ex toto ſecundum intentionem Diaboli complebitur, qui nō modo dicet Chriſtū nec Deum, nec Dei filium eſſe, ſed nec bonum hominem, nihil quippe tam contrarium eſt humani generis inimico ſicut fides Diuinitatis in Chriſto. Quod autem hæc infidelitas Machometi manifeſte proceſſerit ex ipſius dæmonis verbis, quæ Machometus ad litteram libro ſuo inſeruit clariſſime monſtrari poteſt; ait enim Auguſtinus 18. de Ciuit. Dei, Porphirium philoſophum, poſtquam à Chriſtianitate miſerabiliter apoſtatauit, in libris ſuis, quos contra Chriſtianos edidit retuliſſe, quod oracula Deorum conſuluerunt, & de Chriſto quis eſſet interrogauerunt. Reſponſnm vero à Dæmonibus fuiſſe, quod Chriſtus bonus quidem vir fuerit, ſed Diſcipulos ſuos grauiter peccaſſe, qui ei Diuinitatē aſcribentes, rem quam de ſeipſo nō dixerat confixiſſent. Quæ ſententia pluribus in locis, & eiſdem referre verbis in ſuo Alcorano reperitur. Quanta autem hæc Diaboli ſubtilitas extiterit, vt Chriſto aliquid boni diceret, de quo ſi ex toto maledixiſſet, nullatenus iam ſibi credi ſciebat, non curans quicquid Chriſtus putaretur, dūmodo Diniuitas quæ maxime ſaluat homines in illo non crederetur. Hic autem error & ſi ex confutatione erroris præcedentis circa Incarnationem,

im-

improbatus satis apparet & reprobatus, nihilominus tamen pro ampliori manifestatione veritatis & perfidia ipsius Machometi repellenda inpugnabimus illum, ostendentes manifeste veram esse Catholicam fidem, qua Christiani profitentur, asserentes Christum perfectum Deum, perfectumque hominem esse cuius veritatjs idonea & luce clariora testimonia, sumemus primo à Prophetis, secundo a Deo Patre. Tertio ab ipso Christo. Quarto ab ipsis Apostolis. Quinto ab excellentia miraculorum ipsius Christi. Sexto à testimonio etiam dæmonum. Septimo idem patet per Machometum ex concessis per eundem.

In primis quod Prophetæ sancti testentur veritatem fidei prędictam & detestentur errorem prędictum perfidi Machometi; dicit enim eximius Prophetarum Dauid Psal. 2. de Christo loquens: Astiterunt Reges & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius: & infra in persona Christi dicitur: Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Quæ verba superius sunt exposita in confutatione secundi erroris, quæ cum verificari non possint nisi de filio Dei naturali, vt ibi probatum est, manifesta luce patet Christum non solum hominem, sed etiam Deum esse.

Secundo, idem ostenditur psal. 44. vbi prophe

ta de Christo loquens, manifeste ostendit illum, & diuinam & humanā habere naturā. De diuina vero dicit, Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga Regni tui. De humana vero subdit: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Christus enim à chismate, idest ab vnctione sic vocatus, in humana natura fuit vnctus plenitudine gratiæ ab instante creationis animæ præ omnibus intellectualibus creaturis, propter quod dicitur Io. tertio: Quod datus est ei Spiritus non ad mensuram.

Tertio eadem veritas patet, & confutatur error prædictus ex illo Isa. 48. vbi describitur liberatio facta per Christum, & dicitur: Hoc dicit Dominus Redemptor tuus, idest, filius Dei incarnatus, qui Redemptor est Mundi, & vnus Deus cum Patre & Spiritu Sancto. Ergo Dominus Deus tuus ratione Deitatis docens te vtilia, idest, Ecclesiastica consilia, quæ licet non sint necessaria ad salutē, tamen disponunt ad perfectionem. Ecce manifestum testimonium Diuinitatis in Christo.

Item idem testatur Ierem. Propheta de Christo loquens, ait Ierem. 23. Ecce dies veniunt & suscitabo Dauid, idest Christum, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Ad Rom. 1. Regnabit Rex propter

hoc

hoc dicit Matt. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, & Sapiens erit ſapientia increata, & creata faciet iuditiũ &c. ſequitur, & hoc eſt nomẽ quod vocabunt eum Dominus Iuſtus noſter. Multa alia ex Prophetis veritatis teſtimonia inducere, facile nobis eſſet ad confringendum filios proditionis falſitatis diſcipulos Machometum, ſuosque ſequaces, ſed gratia veritatis ſuperſedemus. Præterea ſecundo loco eadem Veritas luce clarius ſplendet teſtimonio Patris cæleſtis, vnde Matth. 3. habetur. Et ecce cœli aperti ſunt ei, ſcilicet Chriſto, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam venientem ſuper ſe, & ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt filius meus, ſcilicet naturalis, dilectus, in quo mihi complacui. Idem habetur Luc. 3. vbi Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſuper ipſum; & vox de cœlo audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Idem habetur teſtimonium in transfiguratione Chriſti Matth. 17. Et ecce vox de nube dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.

Tertio loco confutatur error Machometi multiplici teſtimonio ipſius Chriſti, quibus apertiſſimè teſtatus eſt ſe eſſe verum Deum. Marc. enim 14. habetur: Quod ſummus Sacer-

cerdos interrogaret Iesum, dicens: Tu es Christus Filius Dei benedicti. Respondit Iesus, & dixit illi: Ego sum, & videbitis filium hōis à dextris Dei sedentem à dextris virtutis Dei, & cæt. Ecce manifesta professio, quod Christus esset Deus: vnde in hac respō sione summus Sacerdos scindens vestimenta &c. Ita ait Io. 6. Ego sum panis vitæ, qui de cęlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Clarissimum est autem quod panis vitæ de cęlo descendens, qui potest præseruare à morte & præstare vitam æternam & cælestem, non potest esse nisi verus Deus. Vnde manifestum est Christum in hac asseruisse, se Deum. Item Io. 8. cum ait: Ego sum lux Mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Cum autem esse per essentiam lucem, & præbere sequentibus se lumen vitæ non possit competere nisi Deo vero, clarissimum est, quod in hoc verbo Christus testatus est se esse verum Deum. Idem habetur ex omnibus illis locis Euangelij, vbi Christus ait: Ego sum resurrectio & vita. Item vbi ait: Ego sum ostium, per me si quis intrabit saluabitur. Cum ista non nisi Deo conuenire possint manifeste testatur se esse Deum verum. Item idem patet Io. 8. vbi interrogatus à Iudæis, Tu quis es? dixit eis Iesus: Ego principium, & loquor vobis. Simile

dixit

dixit Apocal. 1. Ego ſum alpha,& omega, principium & finis, vbi manifeſte teſtatur ſe Deum eſſe,cum ſolus Deus rerum omniũ principium ab omnibus eſſe creditur. Idem Ioan. 10. habetur: Quod cum Chriſtus Iudæis volentibus eum lapidare peteret propter quod opus vellent eum lapidare. Reſpõderunt Iudæi:De bono opere nõ lapidamus te,ſed;de blaſphemia,quia tu cum homo ſis facis te ipſum Deũ.Item Ioa.19. Allegantes Iudæi cauſam coram Pilato quare deberet mori Chriſtus dixerũt:quia Dei filiũ ſe fecit. Item poſt Reſurrectionem,inquit Apoſtolis: Accipite Spiritum ſanctum, & quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, ſed dare Spiritum ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata, ſolius Dei eſt, vt patet. Dicitur enim Iſa. 43. Ego ſum qui deleo iniquitates & peccata. Ex iſtis manifeſte patet male & falsè induxiſſe Machometum in ſui erroris argumentum,quod nunquam Chriſtus ſe aſſeruiſſet Deum.

Quarto loco prædicta veritas patet teſtimonio Angelorum; ait enim Angelus ad Virginem Mariam:Quod naſcetur ex te Sanctũ vocabitur filius Dei. Luc.1. Item Luc. 2.habetur, quod Angelus apparens Paſtoribus in Natiuitate Chriſti,dixit ad illos: Annuncio vobis gaudium quod erit omni Populo, natus eſt vobis Saluator mundi,qui eſt Chri

ſtus Dominus.

Quinto loco, prædicta veritas patet teſtimonio Apoſtolorum in ſacro Euangelio cōtento, vnde Math. 16. Chriſto interroganti diſcipulos: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus tanquam principalis inter omnes alios, pro ſe & pro alijs ait: Tu es Chriſtus filius Dei viui, naturalis ſcilicet nō adoptiuus ſicut alij, & per cōſequens eiuſdē naturæ cum Patre. vnde ſic Petrus confeſſus eſt veritatem diuinæ naturæ & humanæ in eodem ſuppoſito. Quam confeſſionem Chriſtus commendans, & remunerans ait: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis, ideſt homo mortalis non reuelauit tibi iſtam veritatem, ſed Pater meus qui eſt in cœlis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, quā confeſſus es, id eſt Chriſtum, ædificabo Eccleſiam meam, & infrà: & tibi dabo claues regni cœlorum. Item Io. 6. Cum Chriſtus diceret ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire, Simon Petrus pro ſe & alijs reſpōdit, dicens: ad quem ibimus verba vitæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei, ſcilicet naturalis. Item 20. poſt Reſurrectionem Chriſti, cum Chriſtus Thomæ dubitanti diceret: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas & pedes &c. noli eſſe incredulus ſed fidelis. Reſpōdit Thomas: Dominus meus & Deus me-

us,

us,vbi manifeſte confitetur Diuinitatem in Chriſto contra perfidiam Arrianam & Machometi. Item Io. 1. Ego teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius, ſcilicet meus & naturalis.

Sexto loco veritatem diuinitatis in Chriſto, teſtatur ipſa miraculorum Chriſti eminentia, quæ Chriſtus operatus eſt. Vnde ipſe, inquit Ioan. 5. Ipſa opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, quia Pater me miſit, plane hoc veriſſimum eſt; quoniam miracula quæ Chriſtus fecit ſufficientiſsima teſtimonia fuerunt ad manifeſtandam diuinitatem ipſius ſecundum tria, vt tangit ſanctus Thomas. Primo quidem ſecundum ipſam ſpeciem operum, quæ tranſcendunt omnem poteſtatem creatæ virtutis, & ideo nõ poterant fieri niſi virtute diuina; & propter hoc cœcus illuminatus dicebat. Io. 9. à ſæculo non eſt auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati, niſi eſſet hic à Deo non poſſet facere quicquam. Secundo propter modum miracula faciendi, quia ſcilicet propria virtute miracula faciebat, non autem orando ſicut alij, vnde dicitur Luc. 6. Quod virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Propter quod oſtẽditur, ſicut Cirillus dicit, quod non accipiebat alienam virtutem, ſed cum eſſet naturaliter Deus, propriam virtutem ſuper infirmos oſtendebat, & propter hoc in-

numerabilia miracula faciebat. Tertio ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat, quæ nisi vera esset non confirmaretur miraculis, diuina virtute factis, & ideo dicitur Marc. primo: Quęnam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Mirum est valde quod Machometus, qui Prophetas & Euangelium tantum cõmendat tanta cœcitate occupatus fuit, & mentis hebetudine percussus, quod tàm aperta, tamque clarissima testimonia Diuinitatis in Christo non intellexit. Cœterum si licet, eadem veritas probatur verbis, & cõfessione ipsius Diaboli, qui tum primo (vt in principio capituli diximus) hanc infidelitatem in mẽtibus hominum disseminauit; vnde Math. 8. habetur, quod Dæmones existentes in corporibus hominum clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu Filiò Dei, cur venisti huc ante tempus torquère nos. Item Luc. 4. Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei; & increpans non sinebant ea loqui, quia sciebant eum esse Christum. Præterea pro pleniori confutatione erroris ipsius Machometi in verbis suis, quæ in laudem Christi in Alcorano suo adducit sumamus arma contra eum. Cõmendando enim Christum inter alia verbum Dei illum nominat, cum enim in hoc intenderit cõmendare Christũ

non

non est intelligendum Christum: ideo verbũ nominasse, quia verba Dei denunciauerit. Tum quia hoc cõmune est alijs Prophetis, vnde Dauid ait Psal. 118. Pronunciaui omnia verba oris tui. Tum quia non propter hoc quod aliquis pronunciat verba Dei, verbum Dei dicitur; vnde nullus vnquã Prophetarum verbum Dei legitur appellatus, nisi Christus Io. 1. vbi dicitur: In principio erat Verbum. Et nunc in Alcorano. Ergo necesse est, vt cum Christus Verbum Dei dicitur, non accipiatur vocale, volatile, transitorium, sed propriè, reale & substantiale, & personale, & sic verbũ Dei est æternum ab Intellectu paterno procedens. Quod autem procedit ex Deo, sicut supra ostendimus, cũ de generatione filij Dei loquuti sumus essentialiter Deus est. Sic ergo patet ex concessis per ipsum Machometum, quod Christus fuerit verus Deus. Ex quibus omnibus testimonijs clarè cogitur perfidus Machometus, aut Christum verum Deum credere, aut falsè cõmendasse prophetias, & Euangelium de veritate. Ad id vero, quod Machometus in robur erroris sui inducit, quod Christus Iudæis dixerit: Adorate Deum meum & Deum vestrum, Dominum meum & Dominum vestrum. Respondemus quod hoc non reperitur in Euangelio Christum dixisse Iudæis, nihilominus tamen quia Ioa. 20. dixisse le-

 gitur

gitur Apostolis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Dicimus hoc esse intelligendum ab eo dictum secundum naturam humanam, secundũ quam ipse dicit, Io. 14. Pater maior me est, non autem secundum diuinam naturam, secundum quam ipse dicit Io. 10. ego & Pater vnum sumus, secundum quam filius est æqualis Patri, vnde vt dicit Augustinus primo de Trinit. vtrunque merito scriptura dicit æqualem, scilicet Patri Filiũ, & Patrem maiorem filio. Illud enim propter formam Dei. hoc autem propter formam serui sine vlla comparatione intelligitur.

Sextus error ipsius Machometi confutatur. Cap. XII.



ÆTERVM perfidus Machometus addens errores erroribus, negat Christum fuisse mortuum, sed alium sibi similem, vnde in Alcorano cap. 11. sic inquit inuehens, cõtra Iudęos maximam blasphemiam, & immoderatam contumeliam inferunt se, quia Christum Mariæ Filium Dei Nuncium peruenisse perhibent, sed nequaquam eum, sed sui similem suspendentes interfecerunt, sed Deus incomprehensibilis & sapiens, eum ad se

trans-

transmigrare fecit. O quã perniciosus error. O quam damnatissimus, qui nobis omnia tollit antidota salutis. Hinc enim quod Machometus negat Christum mortuum, negat per consequens omnia sacramenta, quæ ex virtute passionis Christi efficaciam habent, vnde nulla Sacramenta veraciter ponit, in quo omnibus Hæreticis perniciosior inuenitur. Cæterum, quia Sarraceni negant Christi mortem, Crucem Domini, & locum sepulturæ eius derident; dicit tamen Machometus in Alcorano suo, Christum in fine Mundi moriturum & resurrecturũ cum cœteris. Profecto error iste perniciosissimus est, cum nobis tollat beneficium Redemptionis, quod per passionem & mortem Christi misericorditer suscepimus. Circa cuius erroris improbationem obseruatum ordinẽ in alijs continuantes in primo veritatem fidei quam sacra Christianornm religio credit, & tenet stabiliemus siue declarabimus, quæ est quod Christus pro liberatione, siue redemptione humani generis veraciter mortuus sit. In secuudo inducemus testimonia ad hunc errorem Machometi confutandum ex ijs scripturarum locis, quæ Machometus laudat & acceptat.

Circa primum præsupponimus cum veritate, quod cum Dei opera sint perfecta Deuteronomio 22. In omnibus operibus suis, præ

ſertim in his, quæ ſunt circa gubernationẽ generis humani reluceret ſimul ſua miſericordia & iuſtitia, vnde Pſalmus 24. vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, ideſt Iuſtitia. Vnde in redemptione humani generis non debebat relucere diuina miſericordia, vt puta per ſolam voluntatem parcendo ſeu remittendo peccata, ſed etiam relucere debebat diuina Iuſtitia, ſcilicet pro offenſa in Deum commiſſa, quoniam ad Iuſtitiam pertinet nullum malum impunitũ relinquere. Ex quo patet, quod ad perfectionem redemptionis humanæ pertinebat vt Iuſtitia ita in ea reluceret, vt peccatum hominis ſine ſatisfactione debita nõ relaxaretur. Præterea cum ſatisfactio per Chriſtum fienda non debuit fieri pro vno homine tantum, ſed pro tota humana natura, neceſſario concernere debuit duas conditiones, vna ſcilicet, vt eſſet vniuerſalis reſpectu omniũ ſatisfactionum. Secunda vt eſſet exẽplaris reſpectu omniũ particulariũ ſatisfactionum; vniuerſalis autem debebat eſſe non per prædicationem, quaſi per multas ſatisfactiones particulares multiplicaretur, ſed vt habens virtutem reſpectu omnium, vnde nõ oportebat quod ipſe omnes pœnas, quæ ex peccato quocunque conſequi poſſunt aſſumeret in ſeipſo, ſed illam ad quam omnes

ordi-

ordinantur, & quæ continet in se omnes pœnas, quamuis non actu cuiusmodi est mors, finis .n. omnuim terribiliũ est mors, vt dicit Philosophus tertio Ethi. vnde iustitia dictãte per passionem mortis debuit esse satisfactio fienda per Christum. In quantum vero debuit esse exemplaris respectu nostrarum satisfactionum, debuit habere magnitudinẽ excedẽtem omnes alias satisfactiones, quia exemplar debet esse præstãtius exemplato, & ideo secundum maximam pęnarum debuit satisfacere, scilicet per passionem & mortem, & ita Christus per passionem, & mortem suam satisfecit sufficienter pro humano genere. Cœterum conuenientia huius quod Christus satisfacturus pro humano genere mori debuit, colligitur aperte ex eo quod humanum genus morti adiudicatum fuit propter peccatum, secundum illud Genes. 2. Quacunque die comederitis morte moriemini. Est autem conueniens satisfaciendi modus cum quis subiecit se pœnæ, quam alius meruit, & ideo conueniens fuit, vt Christus qui satisfacere venerat pro humano genere mori voluerit, vnde primo Pet. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, si vero Machometus vel alius pro eo replicaret; quod cum vita quam Christus per pasionem dedit pro redemptione humani generis fuerit corpo-

ralis, quod per consequens non fuerit sufficiens ad compensandum vitam spiritualē, quam per peccatum homo amiserat, cum nihil corporale sit æquiualens rei spirituali. Respondemus rationem istam inualidam esse, vt pote ex defectu considerationis procedentem, sic autem arguens non debuit cōsiderare vitam Christi secundum humanitatis naturam solum, sed secundum personam carnem assumentem & in ea patientem, in quātum scilicet erat caro & vita Dei ex qua habebat dignitatem infinitam. Vnde vita corporalis Christi habebat infinitum valorem ex diuinitate coniuncta in quantum nō erat vita puri hominis sed Dei & hominis, & ideo poterat esse sufficiens recompensatio vitæ spiritualis ad satisfaciendum pro omnibus peccatis humani generis & præcipue ratione charitatis eximiæ ex qua offerebatur. Declarata iam pro nostra exiguitate fidei Christianæ religionis veritate circa conuenientiam mortis Christi pro redemptione humani generis. Restat obseruando ordinem nostrum inducere testimonia cōmendata & laudata per ipsum Machometum, per quæ fidei nostræ veritas splendidior reluceat, & Machometi error apertius falsus & perniciosius esse monstretur.

Occurrit in primis eximius Prophetarum Dauid, qui ex persona Christi loquens ait psal. 68.

68. Quæ non rapui tunc exoluebam glos. Ambr. Quasi diceret non peccaui & pœnas dedi, rapuit enim Adam & Euam præsumentes vt diabolus, ex diuinitate rapere voluerunt diuinitatem & perdiderunt fœlicitatẽ: Cum autem Christus soluit, perfecte satisfecisse intelligitur pro peccatis nostris.

Secũdo loco occurrit notabilis locus Prophetæ Isa. qui 53. cap. sic de Christo ad litterã loquitur, vere languores nostros ipse tulit & labores nostros ipse portauit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, omnes enim nos quasi oues errauimus vnus quisq; in viã suã declinauit, & Deus posuit iniquitatem idest pœnam pro iniquitatibus omnibus expiandis omnium nostrum. Et quia Christus hanc pœnam ex maxima charitate sustinuit subditur. oblatus est, quia ipse voluit idest propter obedientiam Patris, & pro liberatione humani generis, & non aperuit os suum, scilicet verbis recalcitrando sed magis coram false accusantibus & iniustè iudicantibus tacendo sicut patet ex Euangelio.

Tertiò, Idem Propheta de turpitudine mortis eius loquens vbi ait supra & cum sceleratis reputatus est, quia inter latrones fuit crucifixus, vt per hoc particeps maleficij eorum

à vul-

à vulgaribus reputaretur ipſe multorum peccata tulit & pro transgreſſoribus rogauit, vnde Luc. 23. Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.


Quarto loco offert ſe nobis veridicus teſtis Ieremias, qui, Threnorũ primo in pſona Chriſti ita loquitur. O vos omnes qui tranſitis per viã videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: In quibus verbis acerbiſſima eius paſſio demonſtratur. Veniamus iam ad teſtimonia Sancti Euangelij, quod ipſe Machometus tã magnifice laudat, & ſunt plura teſtimonia luce clariora Math. 20. inquit Chriſtus de ſe ipſo & non de alio. Ecce aſcendimus Hieroſolimam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis & condemnabunt eum morte & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & tertio die reſurget. Item habetur Luc. 18. 2. Luc. 23. habetur quod duobus Diſcipulis euntibus in caſtellum Emaus, & dubitantibus de Reſurrectione Chriſti Chriſtus apparens illis ait ad illos ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ: nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Oportebat ſiquidem Chriſtum pati, tum propter Patris ordinationẽ, tum etiam propter ipſius exaltationem, tũ propter humanam redemptionem, tum propter ſcripturarum adimpletionem, propter

quod

quod ſequitur, & incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de illo erant.

Tertiò occurrit illud Ioannis xj. Expedit vt vnus homo moriatur pro populo vt non tota gens pereat. Quod quidem Caiphas prophetice dixit vt Euangeliſta teſtatur. Item Io. 3. inquit Chriſtus ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam, quod de exaltatione crucis intelligendum eſt. Item Io. 19. dicit, Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum dixit, Conſumatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum. Quid plura? totum Euangelium plenum eſt, vnde mirandum eſt certè, quod vbi ſunt tam ſplendidiſſimæ lucernæ teſtantes mortem Chriſti caligauerit perfidus Machometus negãs Chriſtum mortuum eſſe, & tamen ipſe eius error qui magis ſtultitia dicendus eſt, apertiſſime eliditur ex verbis ſuis in Alcorano, ait enim cap. 28. ex perſona Chriſti dum inter homines conuerſaretur. Iniunxit mihi ſcilicet Deus nec me virum defectuoſum ſed malorum expertem creauit, & ſuper me eſt diuina ſalus in die meæ natiuitatis & mortis à qua iterum viuus accedam: hæc ille. Et hæc de præſentis erroris confutatione ſufficiant.

Septimus error ipsius Machometi confutatur. Cap. XIII.



OEterum perfidus Machometus sicut negat in Christo diuinitatem, ita iudiciariam potestatem. Negat enim ipsum iudicaturum in fine saeculi. Ait enim 14. cap. Alcorani solum Deum iudicaturum, & non Christum; sed ad sonitum buccinae Angeli mortis Iesum Christũ vna simul cum Angelis, & Daemonibus, & alijs omnibus viuentibus creaturis, solo Deo Creatore superstite moriturum, resurrecturumq; eum cum omnibus. Obseruantes circa impugnationem huius erroris perfidi Machometi; quantum ad illam partem primam in qua dicit, Christum non iudicaturũ, quia aliorum ex superioribus falsitas manifesta luce patet, ordinem obseruatũ in alijs. In primis solidabimus veritatem fidei Christianae. In secundo inducemus tam pro confirmatione illius, quàm ad confutandũ praefati Machometi errorem, testimonia, ex illis fontibus sacrarum scripturarum, quas ipse Machometus laudat.

Circa primum est, firmiter credendum, quod iudiciaria potestas conuenit Christo, tam secundum

cundum diuinam naturam, quam secundum humanam. Secundum diuinam patet, sicut Pater facit omnia verbo, cum sit ars Omnipotentis Dei, Io. 1. Omnia per ipsum, idest verbum, facta sunt. Et in psal. Verbo DOmini cœli firmati sunt. Ita omnia iudicat verbo suo. Ratio enim iudicij est lex sapientię, vel veritatis, secundum quam iudicatur, cum autem Filius Dei sit sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectè repræsentans iudiciaria potestas sibi attribuenda est. & hoc est quod dicitur Io. 5. Omne iudicium dedit Filio, quod pro tanto dicitur, quod iudicium est per sapientiā diuinam. Sapientia autem tota communicatur Filio, & per consequens potestas iudiciaria. Conuenit etiam Christo iudiciaria potestas secundum humanam naturam propter capitis dignitatem, secundum illud Io. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Vnde omnes res humanæ subduntur eius iudicio, quod ex tribus accipere possumus. Primò si consideremus habitudinem animæ Christi ad Verbū Dei; si enim spiritualis iudicat omnia vt dicit Apostolus 1. Chorint. 2. In quantum mens eius Verbo inhæret, multo magis anima Christi, quæ est plena veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet. Secundò apparet idem ex merito mortis eius, quia vt dicit

cit Io. 14. In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum domi netur; & ideò super omnes habet iudiciũ: propter quod Apostolus ibi subdit, quod omnes stabimus ante Tribunal Christi; & Daniel 7. dicitur, Quod dedit omnem potestatem, & honorem, & Regnum, & omnis po puli tribus, & linguæ seruient ei. Tertiò apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis. Cuicunq; enim committitur principale, committitur, & accessorium. Omnes autem res humanæ ordinantur ad finem Beatitudinis, quæ est æterna salus, ad quam homines admittuntur, vel etiam repelluntur, iudicio Christi. Vt patet Matt. 15. Vnde manifestum est, quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanæ. Cæterum optimo iure potestas iudiciaria Christo attribuitur, quoniam secundum Dei iustitiam conuenit, vt Iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnat, vt dicit, Et iniustè iudicatus est. Vnde ipse dicit Apoc. 3. Ego vici, & sedi in throno Patris mei. In throno autem intelligitur iudiciaria potestas, secundum illud psal. 9. Sedit super throno qui iudicat iustitiã, & ita iudiciaria potestas conuenit Christo, & propter Diuinam personam, & propter capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratiæ habitualis, tum etiam ex merito

rito

rito mortis eius illam obtinuit. Declaratâ autem ſic fidei veritate, proſequamur ſecun dum inducentes teſtimonia confutantia errorem Machometi.

In primis occurrit Propheta Regius Dauid, qui pſal. 72. ad Patrem loquens de Chriſto, ait, Deus iudicium tuum Regi da; gloſ. Deus Pater da iudicium tuum Regi, ideſt Chriſto, quaſi diceret, Fac quod præuideo futurum: Pater enim non iudicat quemquam; ſed om ne iudicium dedit filio; Non quin tota Trinitas ſimul iudicet, ſed quia ſolius filij perſona ſecundum humanitatem ab hominibus in iudicio videbitur.

Secundò offert ſe Propheta Ieremias Iere. 23. ex perſona Dei Patris loquens, ait, Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid, ideſt Chriſtum de Dauid ſecundum carnem deſcendentem, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.

Tertiò eſt illud Iob, qui cap. ſui libri 36. de Chriſto loquens dicit, cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, ſcilicet à Pilato iudicium, cauſamq; recipies, vt iudices. Quoniam vt dicit Aug. in lib. de Verbis Domini. Sedebit Iudex, qui ſtetit ſub iudice damnabit veros reos, qui falsè factus eſt reus.

Quartò occurrit S. Daniel, qui de Chriſto loquens, ait, cap. 7. Ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquum

dierum peruenit, & ſequitur, Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnis populi tribus, & linguæ ſeruient ei.

Quintò occurrit teſtimonium de Euang. Matt. cap. 19. apertiſſimè Chriſtus confutat prædictum errorem Machometi dicens, Amen Amen dico vobis, quod vos, qui ſequuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et Matt. 15. habetur, Cum venerit Filius hominis, licet enim idem ſit filius Dei, & filius hominis, facit tamen mentionem de filio hominis, quia in forma humana venit ad iudicium in Maieſtate ſua, quia tunc apparebit in forma glorioſa, quaſi in primo aduentu apparuit in forma paſſibili, & infirma. Et omnes Angeli eius cum eo; Tum propter honorem Iudicis, tum propter executionem iudicij; quia miniſterio Sanctorum Angelorum deducentur electi ad cœlum, & per malos Angelos reprobi trahentur ad infernum. Sedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ. Per hoc deſignatur poteſtas iudiciaria, quæ data eſt Chriſto, homini.. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, quia nullus poterit tunc latere, & ſuperabit &c. & ita vt dicitur Act. 10. Chriſtus conſtitutus eſt à Deo Patre iudex viuorum, & mortuorum, Ex [illegible]us manifeſtè. relinquitur impro-

batus sufficienter error præfatus Machometi.

Octaus error ipsius Machometi confutatur. Cap. XIIII.



VRSVS perfidus Machometus, & sequaces sui Sarraceni, videntes aduersus se tot, tamque clarissimam ex ipsis sacris scripturis, quas ipsi commendant, testimonia, in suorum errorũ colorem finxerunt, quod Iudæi corruperant legem Moysis, & Prophetarum; & Christiani Euangelium, & quod non remanserat de veritate legis, & Euangelij, nisi quantum est in Alcorano. Hæc autem fictio, licet manifestam contineat falsitatem, & errorem, maximè cum non probet; licèt secundum omnia iura allegans scripta aliqua corrupta esse, hoc probare teneatur. Nihilominus nos pro ampliori denudatione perfidi Machometi, & Sarracenorum, hanc falsitatem, & errorem confutabimus, tam auctoritatibus scripturæ sanctæ, quàm euidentibus rationibus; paucis tamen, quoniam fictio ita manifestè falsa est, vt non sit opus ad hoc ostendendum multa inferre testimonia.

In primis occurrit nobis illud, quod habetur

psal.47. Vbi Propheta, de durabilitate, & firmitate Ecclesiæ, vsq; ad finem sæculi loquens, ait. In Ciuitate Dei nostri Deus fundauit eam in æternum. Cum autem, vt ait Ozeas Propheta, iustus ex fide viuat, tãdiù dicitur Ecclesia durare, aut populus Dei, quamdiù in ea fides perseuerat. Vnde Hieron. Vbi fides ibi Ecclesia: ergo quamdiù Ecclesia durat, fides incorrupta manebit. Cum ergo pollicitatione diuina Ecclesia permansura est, ergo eadem pollicitatione fides incorrupta manebit.

Secundò Propheta Baruc loquens de lege Dei c.2. lex quæ est in æternum non ergo est corrupta.

Tertiò ex Propheta Dauid psal. 118. In æternum Domine permanet verbum, & in sæculum, sæculi veritas tua, & ita idem quod prius.

Quartò est ad idem quod Illustris propheta Isa. c.9. de Christo loquens ait. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet, & corroboret illud in iudicio, & iustitia vsq; in sempiternum. Vnde Angelus Gabriel consonans Prophetę, ait. Luc. 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: Cum non regnet in domo Iacob, quasi credentium, nisi per fidem, & charitatem; sed si fides esset corrupta, & vitiata,

iam regnum suum non permaneret: & tamē ipse Christus ait Matth. vlt. Ego autem vobiscum sum, vsq; ad consummationem sæculi.

Quintò occurrit Propheta Ozeas, in persona Domini loquentis Ecclesiæ sanctæ suæ c. 2. sponsabo te mihi in sempiternum in fide. Si ergo matrimonium Christi, & Ecclesiæ sempiternum debet esse, Deus nunquàm permitteret fidem suam viciari, & corrùpi vniuersaliter, quoniam corrupta fide, dissolueretur matrimonium.

Sextò error præfatus improbatur ex Euangelio. Primo ex illo Matth. 16. Vbi Christus Petro confitenti eum filium Dei esse, ait, Super hanc petram idest fidem, quam professus es, ædificabo Ecclesiam meam; & sequitur, Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Secundò Luc. 22. Vbi Christus pollicetur Petro, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, fides ergo Petri permansura erat vsque in finem.

Septimò ad idem est illud Io. 14. Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, tum autem tantæ auctoritatis testimonia non possent in veritate stare si lex & Euangelium iam esset corrupta manifesta luce apparet falsitas & malitia Machometi, & Sarracenorum dicentium, legem, & Euangelium esse corrupta.

Præterea, ratione præfatus error confutatur.

Primò ſic talis corruptio ſcripturarum prædictarum non potuit eſſe generalis,& manifeſta,quia ſic aliæ nationes habuiſſent notitiã huius corruptionis,& ſic illa corruptio fuiſſet notoria,ſed hoc manifeſtè, & notoriè eſt falſum; nec etiam potuiſſet eſſe particularis, & occulta, quia aliqui Codices integri, & incorrupti remanſiſſent, quod eſt falſum: nam in omni lingua, & in omni Prouincia, ſiue Regione inuenitur lex, & Euangelium vniformiter ſcripta.

Secundò ſic textus legis veteris apud Hæbreos eſt in lingua propria, & littera qua fuit in Sinai data Patribus per Moyſem,& poſtquã fuerunt expulſi à terra promiſſionis, & per orbem diſperſi eandem legem tenent vbiq; terrarum ſine aliqua variatione; Ergo talis corruptio non poteſt veteri teſtamento applicari,& multò minus nouo,quod ſic patet. Nam quatuor Euangelia non ſunt ſcripta nec eodem tempore,nec eodem loco,nec eodem Idiomate, nec ab eodem Sriptore, ſcilicet Matt. in Iudæa in Hebræo,Ioannes in Græco in Græcia. Lucas in Achaia, etiam in Græco, Marcus in Italia in Latino,& eorum translatio facta eſt per B. Hieronymũ, & alios,ante tempora Machometi,& remanſerũt exẽplaria in omnibus linguis: ergo nó po-

poterant per aliquos falſarios vitiari, quoniam manifeſtè ſciretur; ſed hoc non fuit in opinione apud alios, quod ergo Machometus dicit fictio eſt, & deliramentum malitioſum.

Tertiò manifeſtè hoc oſtenditur falſiſſimum, quoniam adhuc libri aliqui Prophetarum, & Euangeliorũ originales reperiuntur apud Chriſtianos, qui fuerunt ſcripti antequàm natus eſſet Machometus, & omnes concordant cum alijs poſterioribus, ergo &c.

Quartò ſic, quomodo Chriſtiani potuerunt cũ Iudæis in tali corruptione conuenire à quibus tam antiquo odio diuiduntur; quomodo etiam conueniunt Chriſtiani, & Iudæi in corruptione eius in quo maximè diſcordãt ſcilicet in Chriſto, quem Iudæi dicunt non eſſe Deum, nec bonum hominem. Chriſtiani verò non ſolum dicunt eſſe ſanctiſſimum omnium, ſed etiam verum Deum.

Quintò autem ex ipſius dictis Machometi. Ipſe primo mandat obſeruari legem, & Euãgelium; quæro ab eo an illa, quæ apud nos ſunt, & hoc non quia illa dicit eſſe corrupta, nec etiam alia ab iſtis, cum nulla talia inueniantur in toto orbe, vt eſt manifeſtum, ergo &c.


Sextò ſic ipſe in Alcorano eorum dicit in capitulo de Iona, ſi fueritis in dubio de hoc, qđ reuelamus vobis petatis ab illis, qui lege-

runt librum antequàm nos; Illi autem qui legerunt librum priusquàm Sarraceni sunt Iudæi,& Christiani, qui receperunt Penthatheucum,& Euangelium, sicut exponit Machometus, ergo Machometus præcipit Sarracenis, quod petant à Christianis,& Iudæis de dubijs; sed quomodo mitteret omnes ad mendacia Machometus testimonia, si esset Propheta verus vt ipsi Sarraceni dicũt: non ergo vitiati erant libri Iudæorum, & Christianorum tempore Machometi: Nec possunt dicere, quod postea fuerunt vitiati. Nam dicitur in Alcorano in cap. Elchagar, quod interpretatur lapis. Nos inquam in persona Dei descendere fecimus recordationem Dei, & nos eandem custodimus. Lex autem Moysi, & sanctum Euangelium apud Sarracenos dicuntur concordatio, ergo Deus semper apud suos fideles testimonium suæ scripturæ conseruauit ante Machometum,& conseruabit postea.

Septimò error præfatus sic improbatur, si Sarraceni omnino volunt dicere, quod lex Moysi, & Euangelium sunt corrupta, aut vitiata, Ostendant nobis legem Moysi,& Euangeliũ incorrupta; & recipiamus ea, maximè si ostenderint vniformiter in omnibus linguis, sicut nos ostendimus; sed hoc illis est impossibile, ergo falsum est quod Machometus dicit, quod lex Moysi, & Euangelium corrupta,

ta, aut vitiata fuerunt. sed fictio fuit malitiosa, & perniciosa ad tenendum gentem illam excœcatam in erroribus suis.

Nonus error ipsius Machometi confutatur. Cap. XV.



ERFIDVS Machometus in tantum bestialis stetit, vt non in veritatibus puræ fidei aberraret, verum etiam, in iis quæ apud omnem bonum Philosophum clarissima sunt, quasi sint prima principia. Asserit enim Deum corporum esse, & habentem membra corporea, sicut manus, & pedes &c. In hoc sequutus est hęreticos dictos Antropomorphitas, qui simplicitate rusticana Deum habere humana membra arbitrati sunt. Vnde ait in visione de qua supra in c. 4. quod tetigit eũ Deus manu sua inter humeros, adeo vt frigiditas manus eius perueniret vsq; ad medullam dorsi eius: Tactus autem non potest nisi corporeus esse, vt testatur tota philosophia; qui error manifestè confunditur auctoritatibus sacræ scripturæ, & rationibus. In primis occurrit illud sapientiæ 1. idest, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, hoc autem impossibile est conuenire rei corporali, vt patet, ergo impossibile est Deum esse cor-

corporeum . Item per Prophetam Dominus Deus loquens ait, Isa. 23. Cœlum, & terram ego impleo; Hoc autem impossibile est rei corporeæ conuenire.

Tertiò expressius confutatur per Euangelium Ioannis, vbi Ioan. 4. dicitur Spiritus est Deus; ergo per consequens nō corporeus, quoniam vt dicit Luc. vlt. Spiritus carnem, & ossa non habet. Rationibus insuper confunditur error præfatus, & iuxta sex, quæ non solum Christianus, sed omnis bonus Philosophus sicut apparet in Metaphysica Aristot. attribuit Deo iuxta sex attributa: inducentur sex rationes.

Primum attributum est Dei, quod est primum ens, Ex hoc sic primo arguitur. Omne cōpositum cuiusmodi est omne corporeum, est posterius suis componentibus, sed Deus est primum ens, ergo est impossibile, quod Deus sit compositus, ex aliquibus componentibus.

Secundum attributum Dei est, quod est ens simplicissimum per abnegationem omnis compositionis, & componibilitatis, vt tota philosophia clamat; ex quo arguitur sic, omnis res corporea habet partes componētes, sed nullum tale est omnino simplex, ergo cum Deus sit omnino simplex impossibile est qđ aliquo modo sit corporeus.

Tertium attributum Dei est, quod sit purus a-

ctus,

ctus, ex quo, ſic arguitur. Deus eſt purus actus, ergo impoſſibile eſt quod ſit compoſitus cuiuſmodi eſt omnis res corporea. Conſequentia patet, quia cum in omni compoſito neceſſe ſit eſſe actum, & potentiam; non enim plura poſſunt ſimpliciter vnum fieri niſi aliquid ſit in actu, & aliud in potentia; quę enim actu ſunt non vniuntur, niſi quaſi colligata, quæ non ſunt vnum ſimpliciter.

Quartum attributum Dei eſt, quod Deus eſt ens nobiliſſimum in fine nobilitatis, Ex illo arguitur ſic. Nulla res corporea poteſt eſſe nobiliſſimum ens omnium entium; patet quia ſpiritus nobilioris, & altioris naturæ eſt. Cum ergo Deus ſit ens nobiliſſimum, manifeſtè apparet, quod impoſſibile eſt, qđ ſit corpus, aut res corporea.

Quintum attributum Dei eſt, quod eſt ęternus. Ex hoc arguitur ſic. Si Deus eſſet corporeus eſſet neceſſe compoſitus, ſed omne compoſitum, ab alio componitur, ſi ergo ab alio componeretur, iam ipſe non eſſet Deus; ſed ille potius, qui eum componeret. Item ſi ab alio compoſitus eſſet, iam ęternus non eſſet, cum in ſui compoſitione inciperet eſſe, ergo manifeſtè patet, quod error ille ſit ſtultus.

Sextum attributum Dei eſt, quod ſit neceſſe eſſe, ex quo arguitur ſic, Omne compoſitū eſt potentia diſſolubile, quantum eſt de ratione compoſitionis, licet in quodam ſit ali


quid

quid ad diſſolutionem repugnans. Quod autem diſſolubile eſt in potentia eſt ad non eſſe, quod Deo non poteſt competere, cum ſit neceſſe eſſe: ergo impoſſibile eſt quod in Deo ſit compoſitio, & per conſequens quod ſit corporeus. Non debuit ad huius erroris aſſertionem mouere Machometum, nec quenquam alium, quod ſacra ſcriptura attribuit Deo trinam dimenſionem. Dicitur enim Iob. 11. Celſior cœlo eſt, & facie profundior inferno,& vnde cognoſces, longior eſt terra menſura eius, & latior mari. Item lineamenta membrorum, quæ tanquàm de homine fragili, & compoſito deſcribuntur ſcilicet, vt de oculis, facie, capite, manibus, brachijs, digitis, vtero, pedibus, vt Iob. 41. ſi brachium habes vt Deus. Et in pſal. Oculi Domini ſuper iuſtos, & dextera ſua fecit virtutem,& ſimilia, quæ cum ſecundum litteram, non abſq; nefando ſacrilegio poſſunt intelligi ſuper eo, qui eſt inuiſibilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, ineſtimabilis, ſimplex, & incompoſitus eſt. Oportet vt huiuſmodi ſignificationem membrorum diuinas efficientias, & immenſas operationes ſentiamus, quæ nobis niſi per hæc vſitata vocabula non queunt intimari: ideo neceſſitate quadam ſacra ſcriptura tradidit nobis ſpiritualia,& diuina ſub ſimilitudinibus corporalium. Vnde Ozeę. 12. dicit Dominus

ego visionem multiplicaui eis,&in manibus Prophetarum assimilatus sum eis; & hoc conuenienter factum est: Deus enim omnibus prouidet,secundum quod eorum competit naturæ. Est autem naturale homini vt per sensibilia ad intelligibilia perueniat; quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet. Vnde conuenienter in sacra scriptura traduntur spiritualia nobis sub metaphoris corporaliũ,& hoc dicit Dion. 2. cap. cœlest. Hierarch. Impossibile est nobis aliter relucere diuinum radium nisi validitate sacrorum velaminum circumuelatum. Cæterum hoc congruentissime agit diuina prouidentia, vt sacra scriptura quæ omnibus communiter proponitur sub similitudinibus corporalium proponatur, vt saltem sic rudes eam capiant,qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei. Vnde cum trinam dimensionem Deo attribuit sub similitudine quantitatis corporeæ quantitatem virtualem designat. Vtpotè per profunditatem,virtutem ad cognoscendum occulta,per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia, per longitudinem, durationem sui esse,per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Velut dicit Dionisius 9. cap. de. d. n. per profunditatem, intelligitur incomprehensibilitas essentiæ ipsius, per longitudinem,processus virtutis omnia pene-

penetrantis,per latitudinem vero,ſuper extenſio eius ad omnia in quantum videlicet Deo in eius protectione omnia continentur. Sic etiam partes corporeæ attribuuntur Deo in ſcripturis ratione ſuorum actuum & operationum, vtputa pro ſignificatione oris col locutionem eius,quæ in arcanos animæ ſenſus ſolet clementer infundi, vel quod in patribus noſtris,atq; Prophetis idem loquutus ſit. Agnoſcimus in oculis immenſitatem perſpicaciæ,qua vniuerſa perluſtrat, & perſpicit; Manuum nuncupatione prouidentiam, & operationem, qua ipſe ſit omnium creator,& conditor,ſentiamus. brachium quoq; virtutis, & gubernationis eius inſigne,quo cuncta ſuſtentat,moderatur, & regit,& ita ſimiliter de alijs partibus.

Decimus error Machometi confutatur Cap. XVI.



ONSEQVENTER ſtultus, & malitioſus Machometus addens errorem erroribus dicit Deum eſſe cauſam omnium peccatorum, vnde ait, quod ſi Deus vellet,omnes gentes, vnam gentem efficeret; ſed hunc aberrare, illum recta via progredi, pro velle ſuo proficit,

qui

qui errores dilatabit vsq; ad finem mundi. Vnde exclamans ait, O Deus quibusuis rectam viam, quibusuis malam præbes. Sane error iste nimis periculosus, & perniciosus est,& diuinæ bonitatis iniuriosus valde; præbet enim peccatoribus occasionem in peccatis perseuerandi ac culpas suas,& peccata in Deum retorquendi. Sed hic error facile improbatur, pro quo notandum, quod homo dupliciter est causa peccati alterius. Vno modo directè inclinando voluntatem eius ad peccandum: alio modo indirectè, scilicet, dummodò non retrahit aliquos à peccato. Vnde Ezech. 3, dicit Dominus speculatori. Si non annunciaueris impio &c. morieris, sanguinem eius de manu tua requiram. Quod autem nullo modorum istorum Deus posset esse causa peccati cuiuscunque manifeste ostenditur. Et primo quidē scilicet directè; Omne peccatum mortale est auersio ab vltimo fine; sed impossibile est quod Deus faciat voluntatem alicuius auertere ab vltimo fine, cum ipsemet sit vltimus finis; immò ipse Deus omnia inclinat, & conuertit in semetipsum, sicut in vltimum finem, sicut Dionisius 2. cap. de. d. n. ergo impossibile est quod Deus sit causa cuiuscunque discedendi ab ordine qui est in ipsum, in quo consistit ratio peccati.

Secundò error præfatus depellitur ex illo Sap.

11. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti; odit autem Deus peccatum, & errores hominum: secundum illud Sap. 14. Pariter odio sunt Deo impius, & impietas eius. & Eccl. 15. omne excrementum erroris odit Deus. Item, & psal. 5. odisti omnes, qui operantur iniquitatem, ergo non potest dici Deus primo modo esse causa peccati scilicet directè.

Tertiò patet eadem veritas, & conculcatur error præfatus, ex illo Io. 1. sine ipso factum est nihil, idest, peccatum.

Quartò ratione sic eadem veritas ostenditur. Deus non est actor illius cuius est vltor, vt manifestum est; sed Deus est vltor peccatorum, & errorum hominum, Deuter. 32. Mea est vltio, & ego retribuam. & in psal. Interficiam omnes peccatores terræ, & Isa. 46. Dies autem illa Domini Dei exercituũ, dies vltionis, vt sumat vindictã de inimicis suis: ergo Deus non est dicendus causa peccati.

Quintò sic, peccatum, & error dicunt priuationem, & defectum deordinatum carentem debito fine; sed facere talem defectum repugnat potentiæ, & sapientiæ, & bonitati diuinæ, est .n. in peccato priuatio vtilitatis, ordinis, & entitatis, ergo cum nihil sit attribuendum Deo, nisi quod deceat suam potentiam, sapientiam, & bonitatem manifestum est, quod attribuere, quod sit causa peccato

rum,

rum,non ſolum eſt falſitatis ſed blaſphemię, & impietatis. Præterea quod etiam Deus non poſſit dici cauſa peccati ſecundo modo, ſcilicet indirecte, patet: licèt ita contingat, quod Deus aliquibus, non præbeat auxilium ad vitandum peccata, quod ſi præberet non peccarent; hoc tamen facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, & iuſtitiæ, cum ipſe ſit ipſa diuina Sapientia, & iuſtitia. Vnde non imputatur ei, quod aliquis peccat, ſicut cauſa peccati; ſicut gubernator non dicitur cauſa merſionis nauis, ex eo quod non gubernat nauem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens, & debens gubernare. Deus autem ex iuſto iuditio facit quod aliquibus auxilium non præſtat, vt non cadant, quod ipſi impedimentum pręſtant gratiæ in quantum auertuntur à lumine vt dicit S. Dionyſius, patet ergo quod Deo nullo modo attribuitur cauſalitas peccatorũ vel errorum, dicit enim Auguſtinus lib. 83. quaſi nullo patiente homine Authore fit homo deterior, Eſt autem Deus omni ſapienti homine præſtantior, multo ergo minus Deo authore, aut volente fit homo deterior, & ita clariſſima luce patet falſitas præfati erroris Machometi.

Vndecimus error Machometi confutatur. Cap. XVII.



ONSEQVENTER perfidus Machometus asserere visus est omnia ista mundana fortuita esse, & non regi à diuina prouidentia; ait enim in Alcorano cap. 6. Si vobis aduersitates incubuerint similiter à cæteris incubuerunt, Isti quidem sunt dies casus & fortunæ, & in cap. 56. dicit. Scitote vitam huius Mundi nihil esse nisi ludum lubricum & inane, ornatumq; vacuum &c. In quo errore fatuo perfidus Machometus insequutus est errorem quorumdam antiquorum Philosophorum vt Democriti & Epicureorum, qui mundum istum dixerunt non gubernari diuina prouidentia, sed à casu & fortuna omnia proueniri, sed error iste faciliter ostēditur falsus, stultus, & impossibilis: Quis .n. vt inquit Lactantius non sentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua prouidentia gubernari. Quando quidem nihil est, quod possit sine vllo Moderatore consistere sicut domus ab Habitatore deserta dilabitur Nauis sine Gubernatore abit pessime, corpus relictum ab anima defluit

nedum

nedum putemus tantam istam molem aut construi sine artifice aut extare tam diu sine Rectore potuisse. Ostendamus igitur illius erroris falsitatem via qua Superiores expro bramus sacrarum scilicet literarum testimo nijs,& veridicis rationibus patet, In primis falsitas in illo Sapientiæ 8. vbi de Sapientia diuina, quod attingit finem vsq; ad finem, fortiter & disponit omnia suauiter; Secundo ex illo sapientiæ 14. Tu autem Pater gubernans omnia prouidentia. Ratione vero sic confutatur error prædictus, & probatur quod omnia tam bona quàm mala, tam necessaria, quàm contingentia, tam species quàm indiuidua regantur diuina prouiden tia sic. ad quæcunq; pertingit ordo prouidentiæ illæ subsunt eidem prouidentiæ sed ordo diuinæ prouidentiæ omnia attingit Sap.8. quia omnia ordinantur ad aliquod bonum vniuersum, in tantum, quod si per aliquam malitiam vno modo ab ipso deficiant statim alio modo in ipsum ordinantur siue sit malum naturę, quia corruptio vnius generatio alterius est, & deformitas monstrorum commendat proportionem naturalem corporis, siue sit malum culpæ, quia illud comendat honestatem virtutis & per pœnam diuinam iustitiam.

Secundo sic. quæcunq; habent certum ordinē oportet quod aliqua prouidentia gubernen

tur sed res huius Mundi tenent certum ordinem in suis motibus, ergo oportet dicere quod prouidentia aliqua & non à casu vel fortuna gubernantur.


Tertio sic quæ sunt diuersa non conseruantur in aliqua coniunctione nisi per aliquam prouidentiam gubernantem, sed in Mundo videmus contraria & diuersa ad idem colligata permanere ergo Mundus ipse prouidentia regitur.

Quarto sic omne id quod per se non potest stare, nec potest per se conseruari indiget aliquo Gubernatore, quo conseruetur, sed res creatæ per se inesse conseruari non possunt, quia quæ ex uihilo facta sunt per se in nihilum tendunt vt dicit Damasus, Ergo oportes dicere res mundanas cum à Deo sint creatæ diuina prouidentia gubernari, quod autem hoc sit verum non tantum de rebus naturalibus, sed etiam de humanis actibus patet, Tum per illud Math. x. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Ergo etiam minima in humanis actibus prouidentia diuina ordinantur, ratione sic. punire & præmiare & præcepta dare sunt prouidentiæ actus, quia per huiusmodi quilibet Prouisor subditos suos gubernat, sed Deus hæc omnia circa humanos actus agit, ergo humani actus diuinæ prouidentiæ subduntur. vnde dicendum est non sicut Machometus stultus

vide-

videtur dicere, sed vt sapientissima Christiana religio sapit quod omnia quæ sunt in Mundo subiecta sunt diuinæ prouidentiæ quæ cuncta disponit bona & mala; bona vt fiant, mala vt ordinentur, vt nihil inordinatum sit in regno prouidentia, & vt ex eis aliquod bonum sequatur, Nam sicut Deus naturarum bonarum creator optimus est, ita malorum iustissimus ordinator.

Duodecimus error Machometi confutatur Cap. XVIII.



AMPLIVS perfidus Machometus asseruit circuncisionem esse seruandam, in quo errore conuenit cum Iudęis & certis hæreticis qui Corinthiani dicti sunt qui error facile confutatur si reuocemus ad memoriam qualiter Deus se promiserat daturum legem nouã per Christum, aliam à lege veteri, quæ multo perfectior illa esset secundum illud Ierem. 32. Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda idest fidelibus Christum confitentibus fœdus nouum, idest legem nouam non secundum pactum quod pepigit cum Patribus eorum, idest secundũ opera veteris testamenti, sed hoc erit pactũ

quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominum dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribā eam,& ero eis in Deum. Ex qua auctoritate habentur duo, vnum quod Deus daturus erat legem nouam aliam quam dederat Patribus eorum, vnde propter hoc, quod Christus daturus erat legem nouam dicitur Isa. 23. Dominus Iudex noster, dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos. Secundum est quod hæc lex noua alio modo danda erat quam antiqua, nam erat scribenda in cordibus, sicut antiqua scripta fuit in tabulis lapideis ad denotandum firmitatem, seu stabilitatem legis scilicet nouæ,& infirmitatem, seu instabilitatem antiquæ. Cum ergo lex noua comparetur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum, necessarium est, vt adueniente perfecto euacuetur quod imperfectum est, si ad idem ordinetur; gratia enim nō facit per duo quod per vnum potest facere, sicut nec natura: vnde ceremonialia præcepta non fuerunt iussa seruari, nisi vsq; ad Aduentum Christi veri Prophetæ, de quo legitur Deutheronomij 18. Prophetam de gente tua suscitabit tibi Deus ipsum sicut me audies,& subditur ponam verba mea in ore ipsius, loqueturq; ad eos omnia verba, quæ præcepero illi, ex quo relinquitur, quod adueniente Christo

qui ibi fuit prænunciatus iuxta dispositionem illius cedere debebat legalia,& ad Imperium illius cessare. Vnde dictum illud Matth. xi. Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannē retractauit cerimonialia & alia instituit potiora. Vnde Augustinus contra Faustum sacramenta quæ obseruabantur nunciatiua erant Christi venturi, quę cum suo adnentu impleret, ablata sunt & alia instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Præterea hac ratione, quia lex & Sacerdotium pari passu currunt: Apostolus ad Hebræos 7. dicit; quod translato Sacerdotio necesse vt legis translatio fiat, erat enim lex sub administratione Sacerdotum, ergo mutato Sacerdotio necesse est quod lex mutetur, & huiusmodi ratio est iuxta S. Thomam, quia mutato fine necesse est mutari ea, quæ sunt ad finem. Omnis autem lex ordinatur ad conuersationem humanam gubernandam & regendam. Vnde secundum Philosophum 1. Politic. mutata conuersatione necesse est mutari legem. Sicut autem lex humana ordinatur ad regimen mundanum, ita lex spiritualis & diuina ad diuinum regimen: hoc autem regimen designatur per Sacerdotium, necesse fuit legem transferri, & ita præcepta cerimonialia cessare debuerunt post Aduentum Christi nouæ Legislatorem. Vnde Augustinus

ſuper illud Iudith dicit vir eius fuit Manaſſes, dicit adueniente Chriſto, & Sole Euangelij clareſcente in mundo omnis illa obſeruantia ceſſat, & quaſi vilis meſſis collectio tranſit. Cum autem Circuncifio non ſit præceptum morale non .n. eſt de dictamine rationis naturalis, vt patet. Vnde non fuit omni nationi data ſicq; imperfecta reſpectu baptiſmi dati in noua lege & hoc tripliciter. Primo quidem quantum ad ſignificationem, quia non ſignificabat ita expreſſe emundationem totius hominis ab immunditia culpæ originalis ſicut ablutio baptiſmalis.

Secundo Circuncifio fuit imperfecta reſpectu baptiſmi, quantum ad efficaciam, quia non tam abundans gratia ad operandum & reprimendum fomitem in Circuncifione dabatur ſicut in baptiſmo datur.

Tertio erat imperfecta reſpectu baptiſmi, quãtum ad vtilitatem, quia non erat eius vtilitas ita communis ſicut baptiſmi, cum illa haberet determinatum populum, determinatum ſexum, determinatum tempus, quod in baptiſmo non accidit, & ideo adueniente tempore plenitudinis gratiæ, debuit circuncifio ceſſare baptiſmo inſtituto. Vnde fideles non tenentur ad circuncifionem, Imo qui circunciderctur grauiſſime peccaret dicente Apoſtolo ad Galat. 5. ſi circuncidimini

cidimini Christus nihil vobis proderit, idest fides Christi, quia cum circunsio fuerit signum & gesserit typum passionis, qui adhuc vteretur circuncisione crederet adhuc signum durare, & non venisse signatum, & sic excideret à Christo. Patet ergo Machometum grauiter errasse dicentem circuncisionem adhuc esse obseruandam. Nec mouere debuit Machometum nec quemq; aliũ, quod Genes. 16. dicitur, quod circuncisio data sit in fœdus æternum, quoniam æternũ ibi accipitur pro sæculo eo, quod longam durationem habet sed finem tandem, sed nõ est determinatus nobis, vel dicitur, quod circuncisio corporalis est in fœdus æternum non ad literam sed quantum ad suum significatum quod est duplex vnum est circuncisio spiritualis, quæ est omnium vitiorũ amputatio de qua Moyses Deutheronomij 30. prophetauit dicens. Circuncidet Deus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum &c. Item Propheta Ierem. de eadem loquitur Ierem. 4. Circuncidimini Domino & auferte præputium cordium vestrorum, viri Iuda & habitatores Hyerusalem, ista est circuncisio spiritualis, quæ in nobis perpetuo manere debet, quia præputium nostrum idest omne vitium à nobis abscindendum est, vt simus sancti & immaculati in medio Nationis prauæ

&

& peruersæ. Hoc est profecto circuncisio cordis significata per illam carnalem scilicet, vt deponamus veterem hominem cum actibus suis qui corrumpitur secundum desideria erroris,& inducamus nouum hominem idest Christum; secundum significatum per circuncisionem carnalem est futura carnis nostræ resurrectio gloriosa, quæ in æternum idest sine fine durabit tunc enim verissimè circuncisi erimus, idest ab omnibus carnalis concupiscentiæ vitijs & corruptionibus spoliati similes Angelis. Nec insuper mouere debuit Machometum ad struendum errorem suum quod Christus circuncisus fuerit, quoniam hoc non fecit in exemplum imitationis sed ne Iudæis daret occasionem incredulitatis, sicut dicit August. in Homil. de circuncisione.

Decimus tertius error Machometi confutatur. Cap. XIX.



TEM perfidus Machometus deridens Christianos improbando illis adorationem imaginum dicit illos in Alcorano cap. 38. Idolatras damnandosq́; esse igne inferni. Hic autem error accidit Machometo quia rudis & grossus erat atq;

be-

bestialis debuisset enim intelligere qđ religio Christiana plena sapientiæ & diuinæ lumine gratiæ illustrata imagines non Deos appellat non eis seruit vt Dijs nec ab eis expectat futurum iudicium sed ad memoriam & recordationem primitiuorum veneratur eas & adorat sed non seruitis cultu diuino, nec alicui creaturæ, vt in septima sinodo Patres sancti dixerunt. Nam vt habet glosa ad Colocenses 1. nulla imago Dei coli debet nisi illa quæ hoc est quod ille, vnde ad manifeste intelligendum, quod vsus imaginum Dei, & Sanctorum apud Christianos nō sit Idolatria, vt præfatus bestialis Machometus garrit, sed sit vsus licitus & religiosus. Notandum est quod sicut dicit Philosophus in libro de memoria, & reminiscentia duplex est motus animæ in imagine vnus in imaginem ipsam secundum quod est res quędam vt puta lignum, aut lapis, aut argentū depictum; alio modo est motus in imaginem in quantum est imago alterius, & inter hos duos motus hæc est differentia, quia primus motus, quo quis mouetur in imaginem prout est res quædam est alius à motu, qui est in rem cuius est imago. Secundus autem qui est in imaginem in quantum est imago est vnus & idem cum illo, qui est in rem. Imagini autē in quantum est res quædam puta lignum sculptum vel depictum nulla reue-

tentia

rentia aut honor debetur sic nec alij lapidi aut ligno. Vnde imagini hoc respectu exhibere aliquem cultum, aut reuerentiam, esset verè idolatrare; hoc autem modo Christiana religio non veneratur imagines: imagini vero secundum quod est imago bene exhibetur reuerentia, & eadem quæ debetur ei cuius est imago, & hoc non est idolatrare, quia imaginis honor non sistit in imagine, sed refertur, siue pertinet ad imaginarium, siue ad exemplar cuius est. & ita in imagine, non veneramur lapidem aut lignum sed Deum aut sanctum cuius est, vnde non est apud Christianos vsus adorationis imaginum, qui erat apud gẽtiles, & paganos Idolatras propter duo. Primo quidem quantum adhoc quod quidam eorum adorabant ipsas imagines, vt quasdam credentes in eis aliquid diuinitatis esse propter responsa, quæ Dæmones in eis dabant, & alios mirabiles huiusmodi effectus.

Secundo propter res quarum erant imagines statuerant enim imagines aliquibus creaturis, vel Soli, vel Lunæ ponentes spem salutis in eis vnde ipsas venerabantur veneratione Latriæ, & hoc est idolatrare talis autẽ vsus adorationum imaginum non est apud Illustrem religionem Christianorum, Christiani enim adorant adoratione latrię Christi imaginem, qui est verus Deus non propter ipsã

ima-

imaginem ſed propter rē cuius eſt imago ; Nam ſicut ſupra diximus iuxta Damaſcenū honor imaginis refertur ad Protntypum, ideſt exemplar & Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana dicit, qui veneratur tale ſignum diuinitus inſtitutum cuius vim ſignificarionemq; intelligit non hoc veneratur, quod videtur & tranſit, ſed potius quo talia cuncta referenda ſunt, vnde patet quod hoc nō eſt iſtolatrare vt mētitur Machometus; nec obſtat vſui venerationis imaginum à Religione Chriſtiana obſeruato, illud Exodi xx. non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, quoniam non prohibetur illo præcepto facere quamcunq; ſculpturam vel ſimilitudinē, ſed facere ad adorandum, vnde ſubditur: Non adorabis ea nec coles, & quia ſicut dictum eſt idem eſt motus in imaginē, & idem cuius eſt imago eo modo prohibetur adoratio quo prohibetur adoratio rei, cuius eſt imago. Vnde ibidem intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas gentiles faciebant in venerationem Deorum ſuorum ideſt dæmonum, ideoq; præmittitur nō habebis Deos alienos coram me. Præterea fuit prohibitum illud pro eo tempore, in quo Deus humanam naturam nondum aſſumpſerat, tunc enim cum omnino eſſet incorporeus & per conſequens infigurabilis, nulla imago corporalis poterat ei imponi,

ſicut

ſicut dicitur Iſa. 40. vt enim Damaſus inſipientiæ ſummæ eſt, & impietatis figurare quod diuinum eſt, & ideo prohibitum eſt in veteri lege ne imagines fierent ad adorandum, & præcipue quia proni erant ad Idolatriam, ex hoc quod totus Mundus idolatriæ inſiſtebat, ſed poſtquam Deus factus eſt homo poteſt habere imaginem ratione ſuæ humanitatis aſſumptæ, & in ſua imagine corporali adorari; nec moueri debuit beſtialis Machometus ad irridendum Chriſtianos circa adorationem imaginum quod nihil de ea in Euangelio reperiatur inſtitutum, quoniam multa Apoſtoli tradiderunt obſeruanda quæ non ſunt ſcripta. Nam quædam familiari inſtinctu Sancti ſpiritus Apoſtoli fidelibus tradiderunt ſeruanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſeruatione Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium ſunt ordinata, vt Apoſtolus Paulus dicit Theſſalon. 2. ſtate & tenete traditiones, quas ſiue per ſermonem, ſcilicet ab ore prolatum, ſiue per Epiſtolam, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam, & inter has traditiones eſt vſus imaginum in Eccleſia. vnde etiam Damaſus dicit quod Lucas depinxit imaginem Chriſti, quę Romæ habetur & B. Marię Virginis, & Chriſtus imaginem ſuam Abagaro Rege depictam direxit, vt dicitur in Eccleſiaſtica hyſtoria. Præterea vſus imaginum apud fide-

les non fuit absq; ratione introductus, Imo rationabiliter multum primo ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur. Secundo vt incarnationis mysterium, & Sanctorum exempla magis in memoria nostra essent cum quotidie oculis repræsententur. Tertio ad excitandum deuotionis affectum, qui ex visis efficacitàs excitatur, quam ex auditis, vnde Horatius
Segnius irritant animos dimissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.
Et tantum dictum sit pro confutatione erroris Machometi.

Decimusquartus error Machometi confutatur. Cap. XX.




EPENDENTER perfidus Machometus grauiter errat imponendo Christianis quod etiam suos Sacerdotes adorent. Hoc enim falsum est & mendosum, quoniam Christiani maiores suos Prælatos & Sacerdotes non adorant adoratione latriæ, quæ soli Deo competit, sed honorant, & reuerentur ea veneratione quæ apud Sapientes græca lingua Dulia vocatur, alio enim modo, vt dicunt Sapientes

pientes nostri homines, alio modo Deus adorari præcipitur, vsu namq; veteri superiores quiq; ab inferioribus adorari dicebantur, quando eis sine incuruatione genuũ siue capitis inclinatione ab eis reuerentia exhibebatur, Deum autem adorare est ei totam mentem per humilitatem ac deuotionem subijcere, & ipsum principium & finem omnis boni credere. Ad honorandum verò Sacerdotes & Prælatos suos rationabiliter mouentur fideles, Tum quia Sacerdotes sunt Patres spirituales, sunt Doctores, sunt Gubernatores, sunt Rectores aliorum. Vnde tam præcepto diuinæ legis quam doctrina Saluatoris honorandi sunt præcepto quidē legis patet. Dicitur enim Deutheronomij 5. Honora Patrem tuum carnalem vel spiritualem, quoniam sicut Pater carnalis est principium in esse naturæ, Ita Sacerdotes sunt per mysterium principium in esse gratiæ. vnde 1. Corinth. 3. Ego per Euangeliũ vos genui. Item Eccl. 3. dicitur tanquam Dominus seruiet eis, qui se genuerunt opere & sermone glos. non in vulua vt ostendatur Pater spiritualis, maxime dignus honore. Item Eccl. 4. Coram presbytero humilia animam tuam. Item ex Euangelio clarissimum habemus ad hoc mandatum Christus enim de obedientia exhibenda Sacerdotibus ait Math. 23. Super Cathedram sede-

runt

runt Scribæ & Pharisei facite quæcunq; dicunt. Obedientiam autem ad reuerentiam pertinere nulli dubium est ait enim Apostolus Paulus 1. Thi. 5. Duplici honore digni qui bene præsunt præsbyteri, & ad Rom. 13. dicit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Multa alia possent induci ad confutationem præsentis erroris, sed quia non est necessarium supersedemus.

Decimusquintus error confutatur.
Cap. XXI.



OETERVM perfidus Machometus asserere videtur, quod quilibet recte viuens in qualibet secta potest saluari, nisi à secta Machometi apostatans. Dicit enim in cap. de Balchara, quod interpretatur Vacca quod Iudæi, & Christiani saluabuntur; & in cap. 4. Alcorani dicit sic. Sciendum autem generaliter quoniam omnis recte viuẽs Iudæus, siue Christianus, seu lege sua relicta in aliam tendens omnis scilicet Deum adorans boniq; gestor indubitanter diuinum amorem consequetur. Iste error est pessimus, & perniciosissimus dans occasionem manẽdi multis infidelibus in erroribus suis. Pro confutatione autem huius pessimi erroris

nos præmittemus aliqua fundamenta verissima, ex quibus luce clarius apparebit falsitas præfati erroris.

Primum est quod nullus potest saluari nisi iustus fuerit. Patet hoc fundamentum, quia beatitudo iuxta Philosophum 5. Ethic. est omnis virtus. Vnde Sapientiæ 5. dicitur, Iusti autem in perpetuum viuent; & apud Dominum est merces eorum. Et iterum psal. 36. Iniusti punientur, & iter impiorum peribit.

Secundum fundamentum est, quod nullus homo purus in hac vita, est dicendus iustus, nisi habeat veram fidem de *Deo*. Patet per illud Ozeæ 2. Iustus ex fide viuit. Et idem commemorat Apostolus ad Rom. 2. Hinc dicit Augustinus, quod vbi sana fides non est, non potest esse iustitia, ergo cum per fidem iustus viuat, & sine fide non possit esse quis iustus, impossibile est aliquem saluari sine fide. Hinc Apostolus ad Hebr. 11. inquit, sine fide impossibile est placere DEO. Fides namq; est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initiũ; sine hac nemo potest ad filiorum Dei numerum pertinere, quia sine ipsa in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam non consequetur, nec in futuro possidebit vitam æternam.

Tertium fundamentum, quod omnium saluandorum

dorum oportet esse vnam fidem de Deo; ita quod sicut vnus est conditor,& rector Deus ita vna veritas fidei,qua vnum;& idem credant omnes de eo,non diuersum, non aliud, non contrarium. Vnde Apostolus ad Ephe. 4. Vnus Deus,vna fides: glos. idest,vnum,& idem est,quod creditur à cunctis fidelibus, & idem Apost. dicit ad Chorint.1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata.

Quartum fundamentum est, quod ista fides oportet,quod sit plena,& integra.Vnde Apostolus ad Hebr. 11. dicit, Acceedamus cum vero corde in plenitudine fidei. In plenitudine dicit, quia non sufficit credere aliquos articulos,& aliquos non.

Quintum fundamentum est, quod ista vnitas integræ, & plenæ fidei non est in omnibus sectis,siue legibus,quibus homines per mundum inhærent, nec reperibilis est; sed variè,& longè dissonant credulitates earum de eo,circa essentiam diuinitatis,circa simplicitatem eius,circa omnipotentiam, circa prouidentiam,circa personarum diuinarum pluralitatem, circa Incarnationis mysterium,circa beatitudinem,circa sacramenta, sicut notum est eis,qui diuersas Infideliū sectas percurrūt,& nos supra in parte ostendimus, improbando errores varios sectæ Machometi contrarios fidei sanctæ Christia-

norum. Ex istis quinque fundamentis manifestè patet falsitas, & pernicies erroris Machometi, quoniam non modo falsum, sed impossibile iuxta præfata fundamenta est, quod quilibet in secta, siue lege sua possit saluari; cum in fide, sine qua non est salus hominibus, quæ vna, & simplicissima, & immutabilis est, non conueniant omnes; sed in pluribus adinuicem contradicant, vt manifestum est, & Apostolus 2. Thessal. ait, Non enim omnium est fides; vnde Thob. 2. & dicitur, vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquàm mutauerunt ab illo.

Sextum fundamētum est illud, quod sola fides Christiana est illa, sine qua non est salus hominibus; hæc enim est fides Catholica, quam nisi quisquis fideliter, firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit. Hoc autem nos ostendemus auctoritatibus, & rationib. Auctoritate quidē primo patet ex illo Deuter. 18. Vbi Moyses de Christo prophetans ait. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit Dn̄s Deus tuus ipsum audies; ergo fidei Doctrina danda per Christum erat, qua saluandi oramus. Item ex illa Marci vltimo vbi Christus ait Apostolis suis, Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, idest omni nationi gentium; qui crediderit,

derit, & baptizatus fuerit saluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur. Item Io. 6. ait, qui credit in me, habet vitam æternam. Item Io. 10. ait, Ego sum ostium; per me si quis intrauerit, scilicet per fidem, saluabitur. Item, & in eodem, qui non intrat per ostium, in ouile olium, ideſt Eccleſiam ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Item Io. 14. dicit Chriſtus, Ego ſum via, veritas, & vita; ſi ergo Chriſtus eſt vita noſtra, ſequitur, quod fides, qua viuit iuſtus, qua viuit omnis qui ſaluandus eſt, ſola fides ſit Chriſti. Præterea, ratione, improbare præfatum errorem facile eſt, ſi ad memoriam reuocentur, quæ ſupra adnotauimus, iuxta ſcripturas ſacras, de neceſſitate, ſiue conuenientia Incarnationis Filij Dei, & eius paſſione, pro redemptione humani generis. Ex quibus apertiſſimè conſtat, quod poſt lapſum Adæ nullus ſaluari potuit abſq; fide mediatoris Nullus enim ab illo peccato poterat liberari, niſi in illum mediatorem crederet, vel ipſe per ſe, ſi eſſet adultus; vel alius pro ipſo, ſi eſſet paruulus, & ratio huius eſt, quia cum gratia, & veritas per Chriſtum facta ſit, & liberatio ab illo peccato ſit per merita Chriſti, & merita Chriſti non ſe extendunt, niſi ad illos qui efficiuntur eius membra, & ei copulantur per fidem. Vnde ſicut impoſſibile

est, nunc aliter saluari quenquam, nisi ei copuletur, vel per fidē, vel per fidei sacramētum; sic etiam impossibile fuit prius, post lapsum aliquem ad salutem peruenire, qui aliquo modo in Christum mediatorem non crederet; Ideo autem dicimus aliquo modo? quia fides Meditaoris potest haberi dupliciter: videlicet implicitè, vel explicitè. Explicitè, vt si quis crederet Filium Dei assumpturum nostram humanitatem, nasciturum de Virgine, passurum in Cruce, resurrecturum tertia die &c. Hoc autem modo credere explicitè non erat omnibus opportunum, siue necessarium; sed ijs, quibus Deo erat reuelatum, sicut Sanctissimis Patribus. Implicitè verò credere est expectare Redemptorem futurum; qualiter autem & quomodo hoc debeat esse, credere secundum quod illi credebant, quibus à Domino est reuelatum, Et hoc quidem erat omnibus opportunum; quod figuratum est Mat. 27. Vbi habetur, quod ingrediente Iesu Hierusalem die ramorum, turbæ quæ præcedebant; & sequebantur clamabant dicentes Hosanna, Benedictus, qui venit in nomine Domini; qui præcedebant seniores erant istest Patriarchæ, & prophetæ, cæteriq; sancti, qui ante Aduentum Christi de Aduentu eius crediderunt & dixerunt. Sequentes sunt Apostoli, & alij noui Testamenti, qui

idem

idem credunt, & prædicant; Diuersis quidem temporibus fuerunt; tamen in omnibus vnus exultationis spiritus fuit. Eadem enim est fides mediatoris, sicut dicit August. quę nos saluat, & saluos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis; quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum eadem est enim fides nostra, & illorum: proinde cum omnes iusti, siue ante incarnationem, siue post, nec vixerunt nec viuent, nisi ex fide Incarnationis Christi; Profecto quod scriptum est Act. 4. non esse aliud nomen sub Cœlo, in quo oporteat saluari nos, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo vitiatum est. Ex quibus manifeste constant tres conclusiones. Prima est, quod hæc fides Christianæ Religionis est sana, & verissima, qua Christiani credunt nullum hominem, siue maioris, siue paruæ ætatis liberari à contagine mortis, & obligatione peccati, quod à prima natiuitate contraxit, nisi per fidem D. N. Iesu Christi. Secunda conclusio est quod fides ista diuersificata, est quantum ad modum credendi, secundũ diuersitatem temporum, & statuum: Nos enim, quibus tantum beneficium exhibitũ est, magis tenemur credere, quàm illi, qui fuerunt ante aduentum Christi, Tunc etiam aliqui magis explicite, sicut maiores, & il-

li quibus facta est aliqua reuelatio spiritualis, illi etiam qui sub lege erant adhuc magis explicite, quàm ante legem, quia data fuerunt eis aliqua sacramenta, quibus, quasi per figuram, repreſentabatur Christus; sed Gentiles q fuerũt saluati sufficiebat eis, quod crederent Deum esse remuneratorem, quæ remuneratio non fit nisi per Christum, vnde implicite credebant in mediatorem. Tertia conclusio est, quod est falcissimum, quod quis saluari possit in secta Machometi, patet conclusio, tam ex dictis, quàm ex improbatione sequentis erroris.

Decimus sextus error confutatur.

Cap. XXII.




OETERVM perfidus Machometus tanta calligauit errorum densitate vt sibi contrarius in pluribus inueniatur erroribus, vnde immemor; amens, & delirus Machometus ipse erroris præcedentis subiuxit hunc omnino contrarium, quod nullus saluabitur, nisi in lege Sarracenorum. Nec mirum quare vt ait Lactantius hæc est natura mendaciorum vt coherere non possint, eorum verò traditio vera est quæ vndique, & sibi tota consentiet, & ideo persuadet, quia constanti ratione fulsulta est, quia vero ex supradictis sufficien-

ficienter patet ſtultitias huius erroris, & temeritatis pauca inferenda veniunt ad eius confutationem patet quidem in primis falſitas eius, quoniam lex Machometi, vt ſuperius oſtendimus continet exorbitantiſſima à recta fide, & etiam plena erroribus, plena vitijs, vnde impoſſibile eſt, vt in ea ſpes ſit alicuius ſalutis. Secundo quod error ille damnatiſſimus ſit ſic oſtendit Apoſtolus 1. Corinth. 1. dicens, Nos prædicamus crucifixum Iudæis quidam ſcandolum, gentibus ſtultitiam. Sanè ſi Chriſtus crucifixus eſt Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitia; profecto in ſecta Sarracenorum, qui in gentibus connumerantur nulli ſaluari poterunt. Tertio error præfatus oſtenditur pernitioſiſſimus, quia damnat omnes Sanctos veteris & noui Teſtámenti, qui omnes vt declarauimus ſupra, in fide Chriſti mortui ſunt, & non in ſecta Sarracenorum.
Quarto idem error damnatiſſimus oſtenditur quia aſſerit Eccleſiam vniuerſalem in errore ſemper fuiſſe antequam ſecta Sarracenorum fuiſſet exorta quo nihil pnicioſius dici poteſt, & eſt cōtra illud Oſeæ 2. ſponſabo te in fide vſque in ſempiternum: & ad Epheſ. 2. Apoſtolus ait Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exiberet ipſe ſibi glorioſam non ha-

habentem maculam aut rugam, & hæc tantum ſufficiant ad confutandam amentiam erroris præfati.

Decimus ſeptimuss error confutatur.
Cap. XXIII.


OETERVM perfidus Machometus non ſolũ errauit circa diuina, ſed etiã circa Angelos, circa quos multipliciter errauit; quorũ errorũ tantũ ſex percurremus.

Primus eſt qđ Angeli ſint corporeæ ſubſtantiæ, de flamma ignis generati. Vnde in Alcorano cap. 24. dicit, quod Dæmones nolentes adorare hominem hãc excuſationem aſſignantes dixerunt ſe eſſe de igne ignitos, hominem vero de luto, & in cap. 64. dicit ille ſcilicet Deus hominem de celcal, atq; Diabolos ex ignis flamma condidit. Præterea dicit quod Deus quoſdam Angelos condidit cum duabus alis, aliquos cum tribus, aliquos cum quatuor.

Error iſte quoad primam partem vbi dicit Angelos eſſe corporeos in quo ſecutus eſt Tertulianum Hæreticum qui dixit Angelos corporeos lineamentis corporalibus figuratos, non modo eſt contra ſcripturam ſanctam, ſed etiam contra bene Philoſophantes, apud quos omnes intelligentiæ ſiue Angeli ſubſtantiæ

ſtantiæ ſpirituales & immateriales ac incorporales dicti ſunt. Vnde Propheta pſal. 146. de Deo loquens ait, Qui fecit Angelos ſuos ſpiritus; & Beatus Dionyſius 4. de D.N. inquit, quod primæ naturæ ſint incorporales, & immateriales, & huius ratio eſt manifeſta quoniam operatio cuiuſcunq; rei eſt ſecundum modum ſubſtantiæ eius. Intelligere autem eſt operatio penitus immaterialis, quod ex eius obiecto apparet à quo actus quilibet recipit ſpeciem, & rationem ſic .n. vnum quodq; intelligitur in quantum à materia abſtrahitur, quia formæ in materia sũt indiuiduales, quas intellectus non apprehendit ſecundum quod huiuſmodi. Vnde relinquitur, quod omnis ſubſtantia intellectualis eſt immaterialis & per conſequens incorporea. Quoad partem vero in qua dicit Angelos factos ſiue generatos ex flamma ignis manifeſte patet eum deliraſſe, grauiterque erraſſe, nam Angelus eſt creatus à DEO, & ita de nihilo, ergo non eſt de flamma ignis generatus: conſequentia patet ex præcedenti quoniam omnia quæ non ſunt compoſita ex materia & forma contrarietati ſubiecta ingenerabilia eſſe, cum generatio ſit ex contrario & materia, & ita oportet per creationẽ eſſe cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ intellectuales, & omnia corpora cœleſtia etiam materia prima; hinc dicitur Gen. 1. In principio

pio creauit Deus cœlum & terram, & in psal. dicitur. Laudate eum omnes Angeli eius, & postea subdit quoniam ipse dixit & facta sunt &c. Tertia vero pars præfati erroris in qua dicit Angelos creatos alatos quàm stulta sit ex confutatione primi erroris patris sui sufficientissime constat, nec oportet per omnes huius stultitias Machometi percurrere, quoniam ipsarum damnatio omnibus in quibus aliquid viget rationis notissima est.

Decimus octauus error confutatur.
Cap. XXIV.



AMPLIVS amens & delirus Machometus circa Angelos errans dicit illos esse mortales, vnde in libro de doctrina sua dicit, quod Deus in fine mundi occidet omnem creaturam etiam Angelos & Archangelos, & nihil remanebit viuum nisi Deus, & tandem resuscitabit eos. Erroris istius falsitas aperte colligitur ex præcedentis erroris confutatione vbi ostensum ex testimonio Dauid Prophetę Angelos spiritualis naturæ esse & per consequens incorporeæ, & immaterialis substantiæ, & ex consequenti incorruptibiles. Vnde Sanctus Dio-

Dionysius Sanctorum Apostolorom coętaneus, & Pauli Discipulus 4. de D. N. dicit, Quod substantiæ vitam habent indeficientem ab vniuersa corruptione morte & materia & generatione mundi expertes. Confutatur etiam ratione præfatus error sic. Nihil corrumpitur, nisi per hoc quod forma eius à materia separatur, sed Angelus non est compositus ex materia & forma, Immo est ipsa forma subsistens vt in præcedenti cap. patet. Ergo impossibile est, quod Angelus sit substantia corruptibilis. Cœterũ cum mors non intrauerit mundum nisi per peccatum dicente Apostolo ad Romanos 5. sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, ita & per peccatum mors, sed Angeli, & Archangeli boni non peccauerunt, ergo non est aliqua ratio vnde eis attribuatur mors, nec secundum naturam nec secundum iustitiam. Præterea si omnes Angeli sint in fine Mundi occidendi, quęritur ab ipso stulto Machometo quo sustentabitur thronus Dei, quem in libro de doctrina sua dicit sustentari ab octo Angelis. Cœterum cum Resurrectio sit iuxta Damasum eius quod cecidit & dissolutum est iterata resumptio non competit nisi mortalibus, & corruptibilibus, & dissolubilibus. Cum autem Angeli vt patet ex superioribus non sint mortales nec corruptibiles, apparet

mani-

illæ auctoritates intelligendæ sunt, nõ quod substantia pereat, sed figura vt Apostol. ait 1. ad Corinth. 12. & Gregorius tangit lib. 17. Moral.

Decimus nonus error confutatur.
Cap. XXV.



ERTIVS error, quẽ Machometus perfidus circa Angelos asserit, est quod Angeli beati peccant. Dicit enim in quadam visione sua incredibili, de qua infra capit. 4. quod cum ascendisset in cœlum septimum respexit vnum Angelum flentem, & quæsiuit causam fletus, qui respondit, culpæ sunt. Ipse autem orauit pro eo. Error iste emanauit ex pectore fatui, & temerarij hominis. Dicit enim in primis B. Aug. 11. super Gen. ad litteram, quod illa natura, quę peccare nõ potest in sanctis Angelis est. Præterea hoc nos ostendimus apertissimis rationibus.

Primo beatitudo Beatorum consistit in hoc, quod Deum per essentiam vident Io. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Essentia autem Dei, est essentia bonitatis; vnde hoc modo se habet Angelus ad Deum, sicut

ſicut ſe habet quicumq; non videns ad communem rationem boni. Impoſſibile eſt autem, quod aliquis, quicumq; velit, aut operetur, niſi attendens ad bonum, vel quod velit diuertere à bono in quantum huiuſmodi: ergo Beatus Angelus non poteſt velle, vel agere niſi attendens ad Deum; ſed ſic volens, vel agens non poteſt peccare: ergo impoſſibile eſt, quod Beatus Angelus peccare poſſit.

Secundo peccatum in voluntate non accidit ſine aliquali ignorantia intellectus; nihil .n. voluntas vult niſi bonum verum, vel apparens; propter quod dicitur Prouerb. 14. Errant qui operantur malum. Et Philoſophus 3. Ethic. omnis malus ignorans; ſed Angelus qui eſt Beatus, nullo modo poteſt eſſe ignorans, cum in Deo omnia videat quę ad ſuam pertinent perfectionem; nullo ergo modo poteſt peccare.

Tertio bonum, in quantum huiuſmodi diligibile eſt; quod erpo apprehenditur vt optimum, eſt maximè diligibile. ſed Angeli beati videntes Deum per eſſentiam apprehendunt eum, vt optimum: ergo maximè ipsũ diligunt, ſed hoc habet ratio amoris, vt voluntates ſe amantium ſint conformes; ergo voluntates beatorum Angelorum ſunt maximè conformes Deo, & per conſequens talium voluntates, non poſſunt fieri peruerſę

pec-

peccando. Præterea, cum Angeli, & maximè beati, sint superiores hominibus, ordoq; diuinæ Prouidentiæ habet, vt inferiora per superiora iuuentur: magnus profectò stultus, & temerarius arguitur fuisse Machometus, dicens se orasse pro sanctis Angelis.

Vigesimus error confutatur.
Cap. XXVI.



TEM perfidus Machometus continuò erroribus se inuoluens, asserit Angelos malos, siue dæmones saluandos per Alcoranum. In hoc errore sequutus est Machometus errorem Origenis, vt ait Aug. 21. de Ciuit. Dei dixit, Dæmones quandoq; per Dei misericordiam liberandos esse à pœnis, qui error apertissimè sacrarum scripturarum testimonijs, quas ipse Machometus commendat, & etiam ratione eliditur.

Auctoritate quidem, primò ex Isa. c. vlt. Vbi de omnibus damnatis loquens, ait. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; Item idem Isa. c. 33. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Secundo ex Euangelio Matth. 25. vbi habetur, quod Christus dicturus est malis in die Iu-

 dicij.

dicij. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Vbi habetur manifeſte, quod Diaboli æternaliter, ideſt ſine fine punientur.

Tertio improbatur error præfatus ex illo Apoc. 20. Vbi habetur quod diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris vbi beſtia, & pſeudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſeculorum, per quod in ſcriptura æternitas ſignificari conſueuit; In quo manifeſtè oſtenditur falſitas præfati erroris. Hoc etiam oſtenditur ratione.

Pro quo notandum, quod Origenes, quem Machometus in hoc errore ſequutus eſt poſuit, quod omnis voluntas creaturæ in quolibet ſtatu propter libertatem arbitrij poteſt flecti in bonum, & in malum excepta anima Chriſti propter vnionem Verbi. Vnde putauit etiam dæmones, quandoq; per liberũ arbitrium poſſe redire ad bonum, & per diuinam Dei miſericordiam veniam conſequi peccatorum; ſed hæc poſitio erronea eſt, cum manifeſtè contrarietur ſacræ ſcripturæ, vt dictum eſt. Prætereà ratione ſic error præfatus confutatur. dæmones obſtinati in malo ſemper perſeuerant, & perſeuerabunt in perpetuum in peccato ſuo; ergo falſum eſt, quod liberabuntur quandoq;. Conſequentia patet, quia pęna ſequitur culpam.

Ante-

Antecedens patet, tùm per illud psal. Superbia eorum, qui te oderunt ascendit, quod de dæmonibus exponitur; tùm patet per illud Io. 3. Ab initio diabolus peccat; quod exponens Aug. 11. de Ciuit. Dei, quod semper peccat ab initio sui peccati; & Beatus Gregor. 34. Moral. dicit, Cor antiqui hostis, sicut lapis indurabitur, quia nulla vnquàm conuersionis purgatione mollietur.

Secundo sic Angelus medius est inter Deum, & hominem; sed Deus habet liberum arbitrium, inuertibile ante, & post; homo habet vertibile ante, & post; ergo Angelus medio modo se habet, vt si sit vertibilis ante, & non post; nam contrarium impossibile est; vt scilicet, sit vertibilis post, & non ante. Causa huius inuertibilitatis post, siue obstinationis in dæmonibus, non est accipienda ex grauitate culpæ; sed ex conditione naturæ, seu status; hoc enim est hominibus mors; quod Angelis casus, vt Damasus dicit. Manifestum est autem, quod omnia mortalia peccata hominum, siue magna, siue parua ante mortem sunt remissibilia; post mortem verò irremissibilia, & perpetuæ manentiæ sũt. Ad inquirendum igitur huius obstinationis causam, considerandum est, quod vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehensioni intellectus, à qua mouetur, sicut mobile motori. Differt autem apprehensio in-

tellectualis Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut, & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus. Homo vero per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de vno ad aliud, habens viam procedendi ad vtrumq; oppositorum. Vnde, & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere. Voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter; & ideo si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere huic, & opposito in his, quæ non naturaliter vult; sed postquàm iam adhæsit immobiliter adhæret; patet ergo, quod ex conditione naturæ voluntatis angelicæ surgit, vt immobiliter Angeli perseuerent, vel in auersione, vel conuersione supernaturalis boni. Ex parte etiam extrinseca immutabiles ét sunt, vel in bonum, vel in malum, post primã electionem; quia tunc finitur in eis status viatoris. Vnde ad rationem diuinæ sapientiæ non pertinet, vt vlterius gratia dæmonibus infundatur, per quam reuocentur à malo primæ amissionis, in qua immobiliter perseuerant, vt pulchrè ostendit S. Thomas. Patet ergo falsitas præfati erroris Machometi, & tanto magis, quanto stultiùs subiungit, quod dæmones saluandi essent per Alcoranum eius.

Vi-

Vigesimus primus error confutatur.
Cap. XXVII.




TEM perfidus Machometus asserit, quod Deus præceperat Angelis, vt se corã primo homine proijcerent humiliantes se coram eo, de quo in capit. 24. ait ex persona Dei, Cum me plasmaturum de luto hominem Angelis intimarui iniungens vt se coram eo proijcerent humiliantes; omnes paruerunt præter Beelzebub, se subijcere nolentem. Sed error faciliter confutatur, Tum ab ipsa lege, quæ ab ipso Deo condita est: vt Deuter. 5. & in Euang. Luc. 4. Vbi habetur, quod solus Deus est adorandus; ergo falsum est, quod à Deo vero exierit præceptum Angelis adorare hominem.

Secundo, cum adoratio debeatur ratione dignitatis excellentis, nunquam superiora adorant inferiora, sed è conuerso; & hoc est quia superiora habent excellentem dignitatem respectu inferiorum, & non è conuerso. Cum ergo Angeli sint superiores hominibus excellentia dignitatis non videtur conforme rationi, vt Deus præciperet Angelis, qui superiores sunt, adorare, siue venerari

illo modo hominem.

Tertio, confutatur præfatus error quia in sancta scriptura legimus homines ante incarnationem adoraſſe Angelos, & non è conuerſo; vt patet de Abraham Gen. 18. quando tres vidit, & vnum adorauit. Item Ioſue 5. habetur, quod Ioſue videns Angelum adorauit, qui dixit, Ego ſum Princeps exercitus Domini. Item etiam poſt Incarnationem B. Ioan. Euangeliſta voluit adorare Angelum, vnde ait Apoc. 23. Cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli; verùm quod Angelus ad oſtendendum, quàm maximè exaltata eſſet humana natura poſt incarnationem, & quàm magna eſt gloria Dei in humana natura, prohibuit ſe adorari, etiam dubia dicens. Vide ne feceris conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum: ergo non videtur veriſimile, quod Deus præceperit Angelis adorare hominem, & ita ſtultum videtur eſſe, quod Machometus in hac parte dicit.



Vige-

Vigesimus secundus error confutatur. Cap. XXVIII.



TEM perfidus Machometus bestialiter de Angelis loquens dicit in cap. 2. Alcorani, quod Deus docuit Adã vocabula omnium rerum, quæ Angelis nondum erant cognita.

Hic error videlicet, quod Adam aliqua naturalia cognouerit, quæ prius Angelis cognita non fuerint, confutatur, tam sacræ scripturæ auctoritate, quàm, & ratione.


Scriptura inquit Ezech. 28. de diabolo loquẽs, Tu plenus sapientia, & perfectus decore: planè sapientia plenus à sui origine non fuisset, si rerum omnium à Deo creatarum notitiam non habuisset. Præterea apud Philosophos, hoc haberetur erroneum; Cum, vt dicitur in libro de causis. Omnis intelligentia est formis plena, & speciebus intelligibilibus; ergo ab ipso sui originis principio habent cognitionem omnium rerum naturalium.

Ratione insuper confutatur præfatus error, tũ quia, quicquid potest virtus inferior, potest superior; si ergo intellectus primi hominis, qui ordine naturæ est infrà intellectum an-

gelicum, cognouit res naturales, imponens eis vocabula; ergo multò magis, & pleniùs cognoſcebant Angeli.

Tum ſecundo, quia ſi ſubſtantiæ ſeparatæ mouent corpora cœleſtia, vt Philoſophi ponũt, quicquid prouenit ex motu cœleſtium corporum attribuitur ipſis corporibus, ſicut inſtrumentis, eo quòd mouent mota; ſubſtantijs autem ſeparatis mouentibus ſicut principalibus agentibus, Agunt autem, & mouent per intellectum, ſunt ergo cauſantes ea quæ fiunt per motum corporum cœleſtium; ſicut artifex operatur per ſua inſtrumenta: Formæ igitur eorum, quæ generantur, & corrumpuntur ſunt intelligibiliter in ſubſtantijs ſeparatis. Vnde & Boetius in lib. de Trinit. dicit, quod ex formis quæ ſunt ſine materia venerunt, formæ, quæ ſunt in materia. Cognoſcunt igitur ſubſtantiæ ſeparatæ non ſolum ſubſtantias ſeparatas, ſed etiã ſpecies rerum materialium. Nam ſi cognoſcunt ſpecies generabilium, & corruptibilium corporum tanquàm propriorum effectuum; multò magis ſpecies corporum cœleſtium, quaſi propriorum inſtrumentorum: multò ergo perfectius Angeli habuerunt naturalium rerum cognitionem, quàm ipſe primus homo, & antequàm ipſe haberet. Vnde manifeſtè patet falſitas erroris præfati Machometi. Hæc ſufficiant pro extirpatione præfati erroris.

Vigesimus tertius error confutatur.
Cap. XXIX.



ERFIDVS Machometus etiam errauit circa animas; asserit enim animam Adæ portionem esse animæ Dei. Dicit enim sic in cap. 24. Alcorani; ex persona Dei. Cum me plasmaturum hominem de luto, & eidem animę portionem insufflaturum Angelis intimaui &c. Error iste est perniciosissimus in quo stultus Machometus sequutus est errorem quorundam stultorum Philosophorum, & tandem etiam errorem Manichęorum, dicentium, quod spiritus rationalis, sit de substantia, & natura Dei.

Hic error manifestè confunditur tam auctoritate, quàm etiam ratione. Dicitur enim Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hoc non est dictũ secũdum corpus, cum Deus sit incorporeus; ergo secundum animam; ergo anima homi nis est facta. Sed circa diuinam essentiam non cadit factio, vel mutatio: ergo non potest dici, quod anima Adæ fuerit ex Diuina essentia, vel substantia.

Præterea secundo sic, Quicquid est essentiale Deo est Deus; ergo secundum hoc, quilibet

homo Deus ſecundum animam eſſet ; quod ſtultum eſt dicere,& inconueniens, & hæreticum.

Tertio quic quid eſt coeſſentiale Deo eſt inuariabile,& impeccabile ; ſed anima hominis eſt variabilis à bonitate in malitiam,& à veritate in errorem,à gaudio in triſtitiam:ſubſtantia autem Dei eſt immutabilis ſicut cõmunis animæ conceptio docet: ergo impoſſibile eſt , quod anima Adæ ſit de portione, ſiue de ſubſtantia Dei.

Quarto, cum Deus ſit ſubſtantia impartibilis vtpotè ſimpliciſſima, nõ poteſt aliquid eius ſubſtantiæ eſſe,niſi tota ſubſtantia eius; ſubſtantiam autem diuinam eſt impoſſibile eſſe niſi vnam ; ſi ergo anima eſſet de ſubſtantia diuina,ſequeretur,quod omnium hominum eſſet vna anima,quod manifeſte eſt falſum,& ſtultũ,& multa alia poſſent argui, quæ apertiſſima luce ſunt erronea, imo blaſphema, quæ ſequũtur ex illo errore; nec mouere debuit Machometum ad hanc aſtruendam ſtultitiam,id quod dicitur Geneſ.5. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, quia vt dicit Auguſtinus 7. ſuper Geneſ. ad literam: Illa auctoritas non cogit ponere animam de ſubſtantia Dei eſſe,quia etiam homo flando,vel ſpirando non emittit aliquid de ſubſtantia ſua, ſed de extranea natura, emittit enim aerem quem reſpirando attraxit. Vnde

de figuratiuè ibi dicitur, flare, quasi flatum facere, vel inspirare, quasi spiritum facere; vnde quod dicit, inspirauit in faciem eius intelligitur quod spiritum fecit ex nihilo, & hoc confitetur Isa. 57. vbi sic dicitur spiritus à facie mea egredietur, & omnem flatũ ego facio, & Isa. 42. Hoc dicit Dominus creans cœlos, & extendens, firmans terram, & dans flatum populo, qui est super terram, & spiritum omnibus calcantibus super eam.

Vigesimus quartus error confutatur. Cap. XXX.



EX prædicto errore cecidit in alium errorem Machometus; vt dicat omnes animas hominum ex vna anima esse productas; in hóc sequutus est quosdam antiquos hæreticos, qui huiusmodi erroris fuisse leguntur Auctores, sed error iste tam à Philosophis, quàm à Theologis iudicatus est insanus. vtraq; ergo via ostenditur reprobus & falsus, dicit enim Philosophus 15. de animalibus, & in 3. de anima, quod intellectus ab extrinseco est: & in libro de proprietatibus elementorum dicit quod innato sit spiritus vitæ iussu Dei. Hoc etiam secundum auctoritatem sacræ scripturæ ostenditur,

tur, dicit Genes. 2. Creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Est autem hoc ad imaginem & similitudinem Dei secundum animam. Ergo omnes animæ rationales sunt de nihilo creatæ, & non ex aliqua alia vna anima.

Secundo sic Genes. 2. habetur quod facta muliere dixit Adam. Hoc os de ossibus meis, & caro de carne mea non dixit anima de anima mea.

Tertio, confutatur error prædictus ex illo psalmo 37. vbi ait Propheta. Qui finxit sigillatim corda eorum: Ibi enim cor ponitur pro anima, eo quod sedes animæ secundum Philosophos in corde est. Et Isaias 42. omnem statum ego feci constat quod de flatu corporali non intelligitur, ergo de spirituali qui est anima rationalis ergo sicut solus Deus insufflauit in faciem Adæ spiraculum vitæ ita creauit animam cuiuslibet hominis, & per consequens non de alio produxit, sed ex nihilo fecit.

Præterea ratione confunditur & destruitur error præfatus sic. Si ex vna anima omnes essent productæ, aut illa anima dat alijs partem substantiæ suæ, aut totam substantiam: si dat totam substantiam, ergo omnes animæ hominum sunt vna anima substantialiter, quod est falsissimum manifestè; si partem, hoc non, tum quia anima est simplex,

non

non habens partem; tum quia sequeretur quod alia producta ex ea ipsa minor maneret, quam ante erat, & tandem desineret esse nisi semper aliquid supersederetur; vnde restituatur quod decisum est ab ea. Quæ omnia apud omnes Sapientes, qui de natura animarum rationabilium aliquid cognoscunt deliramenta reputantur. Et ideo meritò hunc errorem reijcit, & reprobat fides Christianorum, quæ docet, & confitetur qđ omnes animæ rationales non ex alia aliqua anima producuntur; sed formatis corporibus, à Deo creantur, & creando infundantur, & infundendo producuntur. Animarum vero productionem Deus sibi soli debuit reseruari; tum propter earum dignitatem, tum propter earum immortalitatem. Propter animarum dignitatem, quia cum anima rationalis sit imago Dei, & nata immediatè ferri in Deum, & beneficari in ipso diligendo eum toto corde; totum suum esse immediatè debuit ab ipso Deo habere, vt ipsum teneatur toto corde diligere; decuit etiam hoc propter animarum immortalitatem; cum enim solus Deus sit qui habeat vitam in semetipso, & vitam indeficientem, solus est qui potest producere principium vitæ perpetuum. Cum igitur res corruptibilis substentari non posset in materia transmutabili, & operatio creaturæ sit supra ma-

teriam

teriam tranſmutabilem, impoſſibile eſt, aliquam creaturam animam rationalem producere; Ideo eius productionem Deus ſibi debuit reſeruare. Quocirca manifeſta eſt falſitas erroris præfati Machometi.

Vigeſimus quintus error confutatur. Cap. XXXI.



ESTIFER iſte Machometus omnia confundens erroribus ſuis circa cœlos etiam errauit dicens, cœlum ex fumo factum eſſe. Dicit enim ille ſtultus in libro narrationum, quod cœlum ſit de fumo, & fumus de vapore maris, & mare de monte quodam, qui vocatur Caf qui cingit totum orbem, & ſuſtinet cœlum.

Hic errror manifeſtè confutatur cum ſit contra ſcripturam diuinam; Dicitur enim Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram; ſi creauit, ergo de nihilo fecit; & ita non de fumo aliquo. Præterea, ſi cœlum eſſet de fumo factum eſſet alterabile, & corruptibile, quod falſum eſt, cum corpus cœleſte abſq; contrarietate ſit: Corruptio autem, & generatio ex cõtrarijs eſt primo Phyſicorum, & primo de Generatione. Præterea ſi cœlum factum eſſet de fumo, neceſſarium

rium esset, quod aut elementum, aut elementatum esset; sed nullum horum est: Dicit enim Philosophus lib. de substan. Orbis, quod cœlum, nec graue, nec leue, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec siccum: omne tamen elementum, & elementatum est in aliqua istarum qualitatum. Prætereà quod consequenter ait, quod mons sustineat cœlum, ita notoriè fatuum est, & derisione dignum, vt non sit opus alio testimonio.

Vigesimus sextus error confutatur. Cap. XXXII.



AMPLIVS fatuus iste Machometus asserit, quod Sol & Luna erant æqualis luminis, & virtutis, & non erat differentia inter diem, & noctem; sed quadam vice volabat Gabriel, & accidit vt ala sua tetigerit Lunam, quæ obscurata est sicut modo videmus. Hoc ponit in doctrina sua.

Iste error, quoad omnes suas partes ita manifestè est non modò falsus, sed delirus, vt non sit opus multa inducere.

In prima sui parte contradicit sacræ scripturæ, quæ ait Gen. 1. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei,


&

& luminare minus, vt præesset nocti. Et ita patet erroneum esse dicere quod Sol, & Luna creata sunt æqualis luminis, & virtutis.

In secunda parte est etiam contra scripturam sanctam, quoniam, vbi supra, sic dicitur. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos; & ita patet, quod à principio creationis luminariorum fuit differentia inter diem, & noctem.

De tertia parte in qua dicit, quod Gabriel ala sua Lunam tangens eam obtenebrauerat; Ita manifestè in omnibus stultum est, vt vanum sit aliqua testimonia ad hoc inducere.

Vigesimus septimus error confutatur. Cap. XXXIII.



PERFIDVS Machometus etiam circa matrimonium errans, concedit tanquàm licitũ plures habere vxores, sicut manifestè patet p discursum Alcorani sui.

Error iste pessimus est redigit enim humanam naturam ad similitudinem pecudum, & belluarum. Nam volucres penè omnes faciũt matrimonia, & paria iunguntur. Vnde error iste faciliter improbatur, & confutatur, tam sacrarum scripturarum immutabilibns testi-

testimonijs, quàm irrefragabilibus rationibus.

Occurrit in primo illud Gen. 2. Erunt duo in carne vna; in vna dixit non in pluribus.

Ratione etiam confutatur error iste; quoniam videtur esse de iure naturalis rationis, quod vnus vir non habeat plures vxores, sicut nec vna plures viros, cum hoc homini in sua institutione sit inditum. Ius autem naturale vt dicit Isidorus, est, quod incepit ab initio rationalis creaturæ; sed ab initio, vnus habuit vnicam, non duas, Gen. 2. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Non dixit vxoribus, & idem Matth. 19. ergo habere plures vxores sicut Machometus concedit non videtur esse licitum. præterea secundum Philosophum 1. Physic. sicut mulier appetit virum, sic materia formam, & turpe bonum; sed secundum naturam, tantum est vna materia vnius formæ in actu, non plurium; ergo videtur quodam modo repugnare naturæ, quod vnus habeat plures vxores.

Tertio sic, amicitia in quadam æqualitate consistit; si ergo mulieri non licet habere plures viros, quia hoc esset contra certitudiuē prolis; si autem liceret viro habere plures vxores non esset æqualis amicitia vxorum ad virum, & è contra. Vnde hæc ratio experientia probatur, quia apud viros haben-

priuata eo tempore, quo oportebat præceptum naturę prętermitti, vt esset maior multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Nunc autem quia adueniente Christo fuit tempus plenitudinis gratiæ Christi, per quā cultus Dei in omnes gentes spirituali propagation e diffusus est, non currit eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi aduentum, quando Dei cultus propagatione carnali multiplicabatur, & conseruabatur; & hoc de confutatione erroris præfati.

Vigesimus octauus error confutatur. Cap. XXXIV.



MPLIVS perfidus Machometus concedit tanquā licitum repudium vxoris, vt patet in Alcorano c.7.& 8. & 64. Error iste faciliter ostenditur perniciosus. Primo quia est contra doctrinam legis, & diuinam institutionem; patet, Christus enim interrogatus, vt habetur Matth. 19. An liceret homini dimittere vxorem quacunq; ex causa, respondens ait illis, Non legistis, quia qui fecit homines ab initio masculum, & fœminam fecit eos; & dixit, Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit suæ vxori, & erūt duo

in carne vna; Et ſequitur, Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet. Vbi dicit Chryſoſt. in gloſ. Non ſolum ex modo creationis, ſed etiam ex modo legis lationis mõſtrauit quod præter naturam, & præter legem eſt vxorem dimittere. Præter naturã quidem, quia vna caro diuiditur. Præter legem autem quoniam Deo copulante, & iubente, diuidi vxor non dimittitur.

Secundo, Error præfatus improbatur, quoniã eſt contra doctrinam Chriſti, qui in eodem capitulo Matth. ſcilicet 19. dicit, Dico autẽ vobis, quod quicunq; dimiſerit vxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, quia ſcilicet remanet adhuc vinculum illius dimiſſæ cum priore viro.

Item confutatur error iſte ab Apoſtolo primo ad Corinth. 7. dicens, His autem, qui in matrimonio coniuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Deus, vxorem à viro non diſcedere; qđ ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Hæc Apoſtolus.

Prætereà error reprobatiſſimus oſtenditur, quoniam inſeparabilitas matrimonij videtur eſſe de lege naturæ, quod patet ſic. Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non ſolum per tempus, ſed per totam vitam prolis. Vnde de lege naturæ eſt, quod parentes filijs theſau-

rizent,

rizent,& filij parentum sint hæredes. Ideo cum proles sit commune bonum viri,& vxoris; oportet eorum societatem perpetuò manere indiuisam, secundum legis naturæ dictamen; & ita patet, quod inseparabilitas matrimonij sit de lege naturæ.

Secundo id ostenditur sic, Naturalis quædam sollicitudo inest hominibus de certitudine prolis, Vnde quicunq; certitudinem prolis impediunt sunt contra naturalem instinctū humanæ speciei. Si autem vir posset vxorem dimittere,vel vxor virum, & alteri copulari, impediretur certitudo prolis, cum mulier à primo cognita, postmodum à secundo cognosceretur. Est ergo contra naturalem instinctum speciei humanæ, quod mulier separetur à viro.

Tertio confutatur error præfatus,sic, Inter virum, & vxorem amicitia maxima esse videtur,non solum in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quandam suauem amicitiam facit, sed etiam ad totius domesticæ conuersationis consortium. Vnde in signū huius homo propter vxorem relinquet patrem, & matrem, vt dicitur Gen. 2. Non est ergo licitum, immò inconuenientissimum matrimonium dissolui.

Quarto item ostenditur, & confutatur error præfatus sic, Necesse est ad id, quod est optimum in homine, omnia alia ordinari. Con-

iunctio maris, & fœminæ, non sic solum est ordinata legibus, secundum quod ad prolē generandam pertinet, vt est in alijs animalibus; sed quod etiam conuenit ad bonos mores, quos recta ratio disponit, vel quantum ad hominem secundum se, vel secundū quod homo est pars domesticæ familiæ, aut ciuilis societatis; ad quos quidem bonos mores pertinet indiuidua coniunctio maris, & fœminæ: sic enim fidelior amor vnius ad alterum erit, dum cognoscunt se indiuisibiliter coniunctos; erit vtriq; sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuò commansuros in eadem rerum possessione æstimant. Subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oportet accidere, si vir vxorem dimitteret, inter eum, & propinquos; fit etiam firmior inter affines dilectio; tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quæ darentur, si vir vxorem dimitteret, aut è contra. Per hoc enim daretur via facilior sollicitandi aliena matrimonia; & ita infinita sequerentur inconuenientia, si iuxta stultitiam erroneam Machometi licitum foret repudiare vxorem. Nec perfidus Machometus ad hunc errorem astruendum moueri debuit, quod in veteri lege permissum fuerit repudium vxoris; Quia hoc factum est propter Iudæorū duritiam, vt dicit Christus Matt. 19. Quia proni erant ad occisiones

nes vxorum; permissum est ergo minus malum ad excludendum maius malum. Et hoc de confutatione præfati erroris.

Vigesimus nonus error Machometi confutatur. Cap. XXXV.



RÆTEREA perfidus Machometus errauit grauiter concedendo tanquàm licitum adulterium, & fornicationem; Nam cum mulieribus emptis, & captiuis licitum dicit esse concubere. Hoc enim adulterium est, quia multoties emit pater extupratam à filio, & è contra filius, vel frater à patre corruptam, vel à fratre; vnde in c. 32. Alcorani inquit, Castitatem seruate nisi cum proprijs vxoribus aut sibi subiectis, & ancillis obseruantibus. Inde namq; nulla fiet querimonia. Dicit enim Machometus sibi à Deo fuisse concessum, quod ad vxores aliorum posset accedere, vt viros virtuosos, & Prophetas generaret. In quo errore sequutus videtur Nicolaitas hæreticos.

Error iste huius bestialis Machometi apertissime confutatur ex diuina lege, & sacro Euangelio; non enim est dicendum licitum esse, quod manifestè contra diuinum præceptum

est. Inter alia autem diuinæ legis præcepta habetur, nõ moechaberis Exod. 20 Item Leuit. 20. si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cũ vxore proximi sui, morte moriatur, & mœchus, & adulter. Item Deuter. 5. Non concupisces vxorem proximi tui. Item Thob. 4. dicitur, Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam non patiaris crimen scire. Item reprobus error præfatus ostenditur ex Euangelio Christi. Matt. 5. Inquit Christus Iudæis, Audistis, quia dictũ est antiquis non mechaberis; & ego dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est in corde suo. Reprobatur etiam satis testimonio Apostoli, eum ait ad Ephe. 5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet partem in Regno Dei.

Secundo error ille inde reprobãdus venit, quoniam contra legem naturæ esse videtur, qđ sic ostenditur. Illa quidem actio dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conueniens fini debito, siue quia non ordinatur ad ipsum per actionem agentis, siue quia de se est improportionata fini illi. Finis autem quem natura ex concubitu intendit est proles procreanda, & educanda, & vt hoc bonũ quęreretur posuit delectationem in coitu, vt Constantinus dicit. Quicumq; ergo con

cubitu vtitur propter delectationem quæ in ipso est, non referendo ad illum finem à natura intentum, contra naturam facit. Cum autem nomen concubinæ exprimat coniunctionem qua solus concubitus propter se ipsum quęritur, patet q̃d contra legē naturę sit accedere ad concubinam nō coniunctā sibi matrimonio, quę cōcubina vocatur. Nec obstat si dicatur, quod aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quærat, quoniam adhuc non est conueniens ad prolis bonum in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio, & instructio per quam accipit nutrimentum, & disciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur secundum Philosophum. 8. Ethic. Cum autem educatio, & instructio proli à parentibus debeatur per longum tempus, exigit lex naturæ, vt pater, & mater in longum tempus commaneant ad subueniendum cōmuniter proli. Hæc autem obligatio ad commanendũ fęmina viro, matrimonium facit; patet ergo, quod meritò reprobatur coitus concubinarum, & error pręfatus Machometi. Nec debuit mouere Machometum ad hunc errorem, quod antiqui Patres, vt Abraham, Iacob, & Dauid legantur concubinas habuisse, quoniam illæ vxores fuerunt; non tamen dicebantur vxores, sed concubinæ, quia non

erant

erant principales: quamuis ſecundum veritatem eſſent vxores. Vnde Gen. 16. dicitur, quod Sarra dedit Abrahæ Agar vxorem. Et Gen. 30. dicitur, quod Rachel dedit Balam ancillam ſuam viro ſuo in coniugium, vt de ea ſuſciperet prolem; & ſic concubinarius ille coitus fuit in veritate coniugalis. Prætereà, vt dicit S. Thomas, Antiqui Patres ea diſpenſatione, qua plures vxores habebant, ad ancillas accedebant vxorio affectu. Vnde in illis non fuit brutalis libertas, quam lubricus Machometus conceſſit ſuis.

Triceſimus error confutatur. Cap. XXXVI.



TEM beſtialis Machometus grauiſſimo errore erraſſe videtur, concedens, tanquàm licitum, peccatum cõtra naturam, ſummæ impietatis, & ſceleris dicitur; licet ipſi Sarraceni pallient quibuſdam honeſtis expoſitionibus. Dicit enim Sarracenis quod non polluant ſe cum Infidelibus, niſi credant; & de mulieribus dicit, Mulieres veſtræ aratura veſtra ſunt, vtimini eis, vt vultis.

Quam reprobandus, & execrandus ſit error iſte, non eſt opus pluribus teſtimonijs vti,

quia

quia de se omnibus notum est. Vnde magnitudinem huius criminis, primo satis sacra scriptura ostendit Gen. 14. vbi dicit, qđ sodomitæ erant pessimi homines, & Genes. 18. inquit Dominus, Clamor sodomitorum venit ad me; Vbi dicit Greg. Nouitas tantæ, & inauditæ turpitudinis admirationem, & dubitationem parit in audiente.

Secundo magnitudinem illius criminis ostendit magnitudo vindictæ, quæ sumpta est de eo. Nam vna causarum diluuij fuit hoc peccatum, vt dicit Methodius. Prætereà propter hoc peccatum pluit Deus ignem, & sulphur super sodomam, vt habetur Genes. 19.

Tricesimus primus error confutatur. *Cap. XXXVII.*



TEM bestialis Machometus inter alios errores asserit in alia vita post resurrectionem vsum esse ciborum, vestimentorum, & venereorum, sicut sæpe in suo libro ostendit; in quo errore sequutus est hæreticos dictos sciliastos, qui, vt refert Aug. 20. de Ciuit. Dei, asserunt eos, qui resurgent, immoderatissimis cibis, & potibus carnalibus vacaturos, nullam mo-

modestiam, aut mensuram teneant.

Qui error facilè stultus ostenditur, cum apertissimè contradicat doctrinæ Christi, & rationi. Quod doctrinæ Christi contradicat patet; Nam Matth. 22. Interrogatus Christus à Saduceis de muliere, quæ septem viros habuit successiue, cuius esset in resurrectione. Respondit, dicens, Erratis nescientes scripturas, nec virtutem Dei: In resurrectione enim, nec nubent, idest viri non accipient vxores; nec nubentur, idest mulieres non accipientur à viris; Quia homines non resurgent ad vitam mortalem cibis, & venereis vtentem: sed erunt sicut Angeli; gl. intelligit sine labe, & corruptione visione diuina fruentes.

Prætereà error iste apertissimis rationibus confutatur.

Primo sic, Resurrectio futura erit ad vitam immortalem, vt patet; vnde Isa. 25. dicit Præcipitabit Deus mortem in sempiternum. Et Ozeæ 13. secundum translationem 70. Interpretum, Absorta est mors in victoria; & Apoca. 20. dicitur Mors vltra non erit. Et etiam Machometus ipse in libro de sua doctrina, dicit quod postquam omnia mortua fuerint Deus occidet mortem, & postea resurgent immortales, & integri. Cum ergo omnino sublata erit mors, necesse erit à resurgentibus subtrahi, quæ corruptibili vitæ

de-

deseruiunt; siue quæ ad immortalis vitæ statum ordinantur. Manifestum est autem quod ciborum vsus rorruptibili vitæ deseruit; Ad hoc enim cibos assumimus, vt corruptio, quæ posset accidere ex consumptione naturalis humidi, euitetur. Est etiam in præsenti necessarius vsus ciborum ad augumentum, quod post resurrectionem in hominibus non erit, quia omnes in debita quantitate resurgent. Similiter coniunctio maris, & fœminæ corruptibili vita deseruit; Ordinatur enim ad generationem, per quam quod perpetuo conseruari non potest in indiuiduo, In specie conseruetur. Cum autē, vt dictum est, resurgentium vitæ incorruptibilis sit: homines enim ijdem numero conseruabuntur; ergo fatuum est, & irrationabile dicere, quod in resurgentibus sit ciborum, aut venereorum vsus.

Secundo sic, vita resurgentium non minus ordinata erit, quam præsens, sed magis. In hac vita vsus ciborum ordinatur ad aliquē finem; Ad hoc enim cibus assumitur, vt per digestionem conuertatur in corpus: si ergo post resurrectionem erit ciborum vsus, oportebit, quod ad hoc sit, vt conuertatur in corpus: Cum ergo à corpore resurgentis nihil resoluatur, eo quod corpus erit incorruptibile: Oportet dicere, quod totum, quod conuertitur ex alimento, transeat in

augu-

augumentum; & ita oportebit,quod corpora resurgentium in infinitum quasi augeantur: Aut oportebit dicere quod erunt ibi tot egestiones, & aliæ fœditates: vt tantum resoluetur quantũ conuertitur, quorũ vtrunq; est inconueniens. Nec valet quod ipse Machometus dicit in lib.de doctrina sua,dicens quod non erit ibi egestio sordium, sed purgatio per sudorem, & ponit exemplum de puero in vtero matris, qui vt dicit nutritur & non egerit, sed responsio ista nihil valet vt patet inspicienti quoniam corpora resurgentium ita erũt incorruptibilia, quod nihil possit resolui ex eis, vnde patet manifeste, quod non est simile de vno, & de altero.

Tertio sic, venereorum vsus ad generationem ordinatur; si ergo post resurrectionem erit venereorum vsus,nisi sit frustra,sequitur qđ etiam tunc erit generatio hominum,sicut & nunc; sterilitas enim læsio & plaga est naturæ quæ non potest esse in optimo statu humanæ naturæ, cuiusmodi est status post resurrectionem: sequitur ergo, quod multo fœcũdior, & multiplicior erit ibi prolis pro creatio,quam hic. Cum ergo mors in vita illa non erit, crescet ibi populus in infinitũ. Finita est autem regio paradisi illius,& omnis regio corporalis quare breui tempore, necesse habebit exire magna pars populi il-
lius

lius de Paradiso,& creari necesse erit eis re gionem aliam ad habitationem eorum & nō vnam solum sed etiam infinitā,quoniam impossibile est,quascunq; Regiones finitas quę cunq; sint, homines capere infinitos. Si vero quis dicat, quod in resurgētibus erit vsus ciborum,& venereorum, non propter conseruationem & augumentum corporis, nec propter conseruationem speciei, vel multiplicationem hominum, sed propter solam delectationem, quæ in his actibus consistit, ne aliqua delectatio in vltima remuneratione hominis desit,sicut expresse dicit Machometus in libro de sua doctrina. patet quidē hoc inconuenienter dici, vt deducit Sanctus Thomas in 4. contra gentes, quia vita resurgentium ordinatior est quàm vita nostra, in hac autem vita inordinatum, & vitiosum est si quis cibis & venereis vtatur propter solam delectationem, & non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis procreandæ,& hoc rationabiliter, nam delectationes,quæ sunt in præmissis actionibus non sunt fines actionum,sed è conuerso. Natura enim ad hoc ordinauit delectationes in istis actibus ne alienati ꝓpter laborē ab istis actibus necessarijs naturæ desisterent, quod con tingeret, nisi delectatione prouocarentur; est ergo ordo præposterus,& indecēs si istæ operationes propter solas delectationes exer-

exerceantur : nullo ergo modo in resurgentibus erit, quorum vita ordinatissima ponitur. Multa alia possent induci sed quia manifestus est error illius supersedemus. Non obstat autem dictis, nec in aliquo errore Machometi suffragato, quod Adam ante peccatum vitam habuit immortalem & tamen cibis & venereis vti potuit in illo statu, cum ante sit illi dictum, Crescite & multiplicamini; & iterum, De omni ligno quod est in Paradiso comede. Tum primo quia alia erit immortalitas,& incorruptio Resurgentium & alia quæ fuit in Adam. Resurgentes enim sic immortales erunt & incorruptibiles,vt mori non possint, nec ex eorũ corporibus aliquid resolui. Adam autem sic fuit immortalis, vt posset non mori si nõ peccaret,& posset mori si peccasset, & eius immortalitas sic seruari poterat non quod nihil resolueretur ab eius corpore sed vt contra resolutionem humidi naturalis ei subueniri possit per ciborum assumptionem, ne ad corruptionem eius corpus perueniret. Nec etiam obstat prædictis, quod Christus post resurrectionem legitur comedisse & bibisse, Quoniam Christus post resurrectionẽ non comedit propter necessitatem sed ad demonstrandum suæ resurrectionis veritatem, vnde cibus ille non fuit conuersus in carnem sed resolutus in præiacentem mate-

riam

teriam hæc autem cauſa comedendi nõ erit in reſurrectione communi.

Trigeſimus ſecundus error confutatur.
Cap. XXXVIII.

BRVTALIS homo Machometus ſequutus quoſdam inſipiẽtes antiquos parum à beſtijs differẽtes, poſuit fœlicitatem, & beatitudinem in carnalibus delectationibus ciborum, potuum, & venereorum vſu, per totum enim Alcoranum carnalem & ſpurciſſimam fœlicitatem ſuæ genti in alia vita promittere non puduit. Delicias quidem primo epularum corporalium, dapiferos, & Pincernas Angelos: Deinde ſecundo pretioſitatem veſtium, & lectorum & vmbraculorum amœnitates.

Tertio delicias concupiſcentiarum & blandimentorum mulierum. Qui error non ſolũ apud Chriſtianæ Religionis cultores ſed ẽt apud gentiles Philoſophos, qui beatitudinẽ nouerunt in operationibus intellectiuę partis conſiſtere, Iudicatur beſtialis vitam huiuſmodi voluptuoſam non hominum ſed pecudum eſſe aſſerentes vt patet 1. Ethic. Hic error licet ex præcedentis erroris reprobatione ſatis reprobatus & ſtultus oſtendatur.

Nihilominus ad plenius ostendendam bestialitatem,& amentiam ipsius Machometi. Hoc ipsum auctoritatibus & rationibus,pau cis tamen comprobabimus. Quod vero bea titudo futura diuinæ legis obseruatoribus non in vsu voluptatuum censualium vt bestialis Machometus secutus Epicureos fatue asseruit; sed in actu superioris partis intellectiuæ,& respectu nobilissimi obiecti,qđ est Deus scilicet in visione fatiali ipsius Dei sit.

Auctoritate patet primo scilicet Prophetæ Dauid in psal.37. dicentis Apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen, quasi diceret in lumine cognitionis tuæ est vita. Item ps. 15. Adimplebis me lætitia cum vul tu tuo. glos. vt nihil vltra desiderem cum facie ad faciem te videro. Item Iob 33. videbit faciem eius in iubilo. Item Christus Io. 17. ait, Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum & quem misisti Iesum Christum. Item Math. 22. Ait Dominus in Resurrectione. Nec nubent nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Idest beatitudo hominum erit similis beatitudinis Angelorum, sed illorum beatitudo consistit non in voluptate corporali,sed in visione diuinitatis ergo &c. De qua Apostolus videmus nunc per speculum tunc autem facie ad faciem. Præterea beatus Ioannes Euangelista.

sta. Cum aparuerit similes ei erimus. Similitudo autem ista consistit in participatione suæ beatitudinis. Constat autem qđ beatitudo Dei non constat in voluptate corporali, quia hoc nefas esset intelligere, ergo similitudo erit quoad visionem essentiæ. Ipse enim per essentiam suam substantiam intelligit, & hæc visio diuinitatis est summa foelicitas hominum & Angelorum. Æstimet qui potest quanta quamq; iucunda concors & indisolubilis erit creaturæ humanę Creatori vnita coniunctio, vbi claritas, quam Creator habet per plenitudinem creaturæ dabitur, per plenitudinis participationem quam ille habet per naturam, huic dabitur per gratiam vt ait Ricardus super Apocal. lib. 7.

Ratione vero multiplici præfatus error confutatur & ex bestiali pectore emanasse ostēditur. Primo sic beatitudo vltima hominibus in præmium sanctorum operum promissa consistit in his, quæ omnem humanæ virtutis facultatem excedunt dicente Propheta Isa. 14. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit diligentibus se, & Apostolus ad Roman. 8. Non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, sed foelicitas quam seductor ille Machometus promisit non est in alijs

bonis maioribus, quam habeat vita præsẽs: promisit enim flumina lactis & vini & mellis, vnde non promisit eis alios liquores secundum speciem quam habet vita ista, & si forte gustu suauiores & eodem modo se habet de saporibus cum determinati sint numero specierum suarum, nec ampliores, nec alij esse possunt, & eodem modo se habet, & de omnibus generibus ciborum, quare manifestum est, quod non aliam fœlicitatẽ promisit eis quã carnalem quã habet vita ista, nec eadẽ maiorem & meliorem. Ex quo manifeste patet quod assignando fœlicitatem futuram tam propinquam vitæ præsentis turpiter errauit assignando hominis fœlicitatem in bonis corporalibus.

Sacundo sic fœlicitas est quoddam bonum hominis proprium bruta enim non possunt dici fœlicia nisi abusiue. Delectationes autẽ carnales sunt communes hominibus & brutis, ergo errauit Machometus in talibus beatitudinem hominis ponendo, vnde grauiter totam humanam naturam videtur offendisse, quod homines brutis animalibus coęquauit, dum non aliam fœlicitatem hominibus posuit, quam etiam bruta animalia possunt communicare, quod est inconueniens, nam idcirco soli animantium ad affectum cœli erecti sumus, vt summum bonum nostrum non in terra, non in sensu, sed in summo esse

cre-

credamus, quod satis proprie Poeta designauit dicens, Paruaq; cum spectent animalia cœtera terra, Os homini sublime dedit cœlumq; videre iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Ipsi ergo sibi renunciant, seq; nomine hominum abdicant inquit Lactantius, qui non sursum aspiciunt sed deorsum, nisi forte idipsum quod erecti sumus sine causa huiusmodi attributum putant. Tertio sic vltimus finis est nobilissimus eorum, quæ ad rem pertinent; habet enim rationem optimi; sed delectationes carnales non conueniunt homini, secundum id quod est nobilissimum in eo quod est intellectus, sed secundum sensum: Ergo error est in talibus delectationibus ponere fœlicitatem hominis.

Quarto sic summa perfectio hominis esse non potest in hoc quod coniungitur rebus inferioribus se, sed per hoc, quod coniungitur alicui rei altiori. Finis enim melior est ijs, quæ sunt ad finem, sed delectationes carnales consistunt in hoc quod homo secundum sensum coniungitur aliquibus rebus se inferioribus scilicet sensualibus, ergo error magnus est in talibus hominis fęlicitatem ponere.

Quinto sic in illo est maxime ponenda foelicitas per quod homo maxime appropinquat ad Deum, qui beatificator est Angelorum & hominum sed per delectationes prædictas

maxime impeditur homo à maxima appropinquatione ad Deum quæ fit per contemplationem,quam maxime impediunt prædictæ delectationes sensuales, sunt enim quædam vincula mentium humanarum & excoecamenta oculorum intellectualium,vt clare experimur. Vnde si quis existimat abundantia potationum & cibi se frui posse & vacare sapientiæ ipse se decipit: Ergo maximus error est in talibus ponere foelicitatem.

Sexto sic cum ijs delitijs sensualibus quas ponit Machometus aut erunt delitiæ spirituales aut non,si sic manifestum est, quod se nõ compatiuntur. Spirituales enim delitiæ naturam humanam ad se trahunt & in se totã rapiunt,& carnalia sentire non patiuntur ea hora qua humanam mentem tetigerunt,vnde vt dicit Bernardus quomodo ignis & aqua simul esse non possunt,sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se nõ compatiuntur: Non poterunt igitur simul esse foelicitas spiritualis,& ista quam ponit Machometus carnalis. Si vero dixerit quod alternatim sint, hoc est quod altera post alteram fruentur in vita illa, tunc sequitur ex necessitate,quod neutra erit plena, cum neutra sit continua.

Continuitas enim pars est foelicitatis. Præterea ipsa experientia sensus manifestũ est

quod

quod gustantes delicias spirituales statim fastidiunt carnales, sicut dicit Augustinus: Quia gustato spiritu desipit omnis caro, quare impossibile est vt voluntarie à spiritualibus in patria redeant ad carnales. violentia autem vel surreptio ibi locum non habet; ergo semel admissos ad foelicitatem spiritualem ab ea vel ad modicum diuertere vel se iungi impossibile est. Ergo impossibile est alternatim vtramq; foelicitatẽ ibi obtineri. necessario est igitur foelicitatem spiritualem, vel omnino ibi non esse vel solã esse hoc est præter carnalem illam quam ponit Machometus, Cum nec esse possit simul cum illa nec alternatim nec post illam nec ante illam. Si vero dicant, quod ibi non est foelicitas spiritualis illa autem est indubitanter potissima ac nobilissima, maximaq; pars foelicitatis, si tamen & alia est aliqua par eius; ergo ex dictis sequeretur euidenter, quod Machometus foelicitatem non posuit, sed partem foelicitatis si pars dicenda sit, & illã modicam, atq; vilissimam, qui carnalem solam posuit.

Præterea septimo sic vbi est talis voluptuosus vsus cibi & potus ac venereorum erit necessario continua & magna corporum humanorum exinanitio & resolutio transmutatio, digestio, somnus, & huiusmodi, qualia in vita ista sentimus: erit igitur ibi multitudo

ſudorum egeſtionis, & vrinationis tanta qđ tandem locus paradiſi illius quantuſcunq; fuerit non poterit capere ſtercora & vrinas hominum. Quid ergo eſt paradiſus ille Machometi niſi Taberna indefeſſa gurgitationis, & ꝑpetuę foeditatis & turpitudinis proſtibulum atq; volutabrum porcorum. Prætereo autem in nominando alias abominationes & fæditates, quæ ex ijs commixtionibus maris & foeminæ ſequuntur. Quod autem dicit Machometus Angelos pincernas futuros eſse atq; dapiferos eorũ qui ei crederent & legem ſuam ſeruarent quis non derideat, aut quis non rideat Angelos ſanctos foelicitatem illam quam nec oculus vidit nec in cor hominis aſcendit deſerere vt lectos parent eis, & ornent ad turpitudines exercendas, & vt Angelicæ beatitudinis excellentiam commutent in coquinariam ſeu dapiferam, aut pincernariam ſeruitutem, quæ multo vilior eſt, quam ſeruire porcis.

Vnde patet quod animalis iſte homo Machometus, nec ſe ipſum nouit qđ animal ſine ratione eſset nec foelicitatẽ patriæ quid eſſet apprehendit. In quo plane non ſolum indoctum, & impium ſed coecum atq; delirum, & beſtialem ſe probauit. Nec mouere debuit Machometum, aut quemcunque alium ad huiuſmodi errorem ſectandum qđ aliquæ auctoritates reperiantur in ſacra

ſcri-

ſcriptura, quæ vſum ciborum poſt reſurre-ctionem videntur promittere hominibus vt eſt illud Iſa. 27. vbi dicitur: faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum vindemiæ defecatæ, & ſimiles, Quoniam iſtę auctoritates ſpiritualiter intelligendæ ſunt. proponit enim ſcriptura diuina intelligibilia ſub ſimilitudine ſenſibilium vt animus noſter ex eis quæ nouit diſcat incognita amare. Ait enim Beatus Gregorius in quadam homilia Regnum cœlorum, idcirco terrenis rebus ſimile dicitur vt ex ijs quæ animus nouit ſurgat ad incognita, quibus exemplo viſibilium ad inuiſibilia ſe rapiat & per ea quę vſu didicit, quaſi cōfricatus incaleſcat, vt per hoc quod ſcit notum diligere diſcat incognita amare, & ſecundum hunc modum delectatio quæ eſt in contemplatione ſapientiæ, & aſſumptio veritatis intelligibilis per intellectum noſtrum, per vſum ciborum in ſacra ſcriptura conſueuit deſignari, ſecundum illud Prouer. 9. Quod de ſapientia dicitur, miſcuit vinum & poſuit menſam miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me, Inſipientibus loquuta eſt venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis, & Eccleſ. 15. dicitur, Cibauit illum Deus pane

vitæ

vitæ & intellectus & aqua ſapientiæ potauit illum. De ipſa ſapientia etiam dicitur Prouerb. 3. Lignum vitæ eſt ijs qui apprehendunt eam, & qui tenuerit beatus. Similiter quod Dominus dicit Luc. 22. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Non poteſt de cibo corporali vel potu intelligi, ſed de eo qui in menſa ſapientiæ ſumitur de quo dictum eſt. Vnde patet quod prædictæ auctoritates ac ſimiles non cogunt dicere quod reſurgentes cibis corporalibus vtantur.

Trigeſimus tertius error confutatur.
Cap. XXXIX.



ERSCRVTANDO doctrinam Alcorani inuenimus duo fuiſſe motiua ad affirmandum voluptuoſam carnalem, & beſtialem fœlicitatem quam ponit.

Primum eſt vt verbis eius formaliter vtar, quia ſi vllum oblectamentum in paradiſo deeſſet beatitudo minime plena eſſet.

Secundum eſt quod fruſtra deliciæ eſſent vt puta meliores ſi voluptas deeſſet propter quod concludit porcus ille Machometus, quod quicquid volunt præſto eſt, & quaſcunq; & quo-

quomodocunq; volunt habent omnia ad libitum sine mora & difficultate. Ita quidem quod quas hic vxores habuerunt fideles habebunt & illic, cœteræ concubinæ erunt, Ancillarum vero non erit numerus. Hæc ille.

Ad quæ motiua speciali capitulo respondere decreuimus, ne forte simplices, qui ex leuibus moueri quandoq; solent talibus motiuis titubare à recta fide contingeret. Ostendemus autem huiusmodi motiua non solum non cogere talem voluptuosam foelicitatē ponendam esse, sed procedere ex ignorantissimo & bestiali homine.

Primum autem motiuum faciliter repellitur, quia cum vera beatitudo hominis, quæ speratur in alia vita conueniat homini secundum id, quod nobilissimum est in eo, quod est intellectus, & respectu nobilissimi obiecti, quod est ipse Deus, delectationes quæ ad beatitudinem pertinent non sensuales, quæ communes sunt porcis, & asinis, alijsq; animalibus brutis dicendę sunt, sed spirituales in quibus communicamus cum Angelis. vnde delectationes sensuales quas Machometus ponit non pertinent ad beatitudinem hominis, Imo neq; beatitudo vera sustinet huiusmodi delicias sed abstrahit ab eis, sicut in superioribus manifesta luce monstrauimus: propter quod cessabunt necessario in alia vita. Quare manifestum est verbū veritatis qđ

legi-

tur Math. 22. Quod in resurrectione neque nubent, neq; nubentur sed erunt homines sicut Angeli Dei in coelo. Et idem habetur Luc. xx. vnde ridiculũ est delectationes sensibiles huiusmodi quærere in quibus nobiscum animalia bruta communicant, vbi expectantur delectationes altissimæ, quibus cũ Angelis communicamus, quæ erunt in visione primæ lucis & gustu summæ bonitatis, quæ nobis & Angelis erunt communes. vnde patet manifeste argumentum Machometi cum arguit, Quod si vllum oblectamentum in paradiso deesset, Beatitudo minime plena esset, vanum esse & vacillum viribus, Quoniam ut iam diximus oblectamenta carnalia qualia ipse Machometus describit nõ pertinent ad veram beatitudinem hominis, Imo apud recte sapientes argumentum eius in contrarium ualidissime militat, arguendo sic, In paradiso erunt oblectamenta carnalia & sensuales delectationes quales Machometus describit ergo sequitur, quod ibi non erit uera, neq; plena beatitudo, consequentia patet, quoniam ut superius apertissimis rationibus ostendimus, delectationes tales sensuales cum delectationibus intellectualibus siue spiritualibus esse simul non possunt. Præterea si uerum est, quod nullũ oblectamentum aut sensuale defecturum est futuræ beatitudini siue paradiso Machome

ti cum varijs & diuersis oblectamentis homines afficiantur, vtpote quidam in cibis, quidam in potibus, quidam in luxu, quidam in ludo, quidam in venationibus, quidam in piscationibus, quidam in hastiludijs, alij in diuersis alijs rebus nos dicere oportebit in paradiso esse omnia genera ciborum volatilia oues & boues & vniuersa pecora campi, vniuersaq; genera condimentorum iuxta oblectamentum singulorum hominum, amplissima insuper flumina vinorum iuxta varietatem gustuum singulorum apotheas spe cierum & confectionum, prostibula tandem luxuriantium, syluas feris plenas ad venandum, stabula multa equorum ad hastiludiandum, & ex consequenti multa stercora animalium & plura similia, quæ inferri possunt aduersus stultum Machometum. Quæ & stultissima sunt, & omni derisione digna, illumq; profecto paradisum Machometus bestialis suis descripsit quem ipse bestialis sibi futurum concupiuit.

Præterea tum secũdo arguitur videlicet, quod frustra deliciæ adessent si voluptas deesset; ex magna certe ignorantia & coecitate procedit: deliciæ enim sensuales, quæ in statu præsentis miseriæ & corruptionis deseruiũt vt sunt plantæ, animalia bruta, corpora mixta in alia vita homines de corruptionis statu in incorruptionis statum transeuntes nõ

ma-

manebunt, cessante enim fine cessare debet illud quod est ad finem. Talia autem quæ diximus facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam, vnde Genes. 9. dicitur sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem, quocirca cum Christus in nouatione status hominis animalis vita in homine nõ erit, neq; plantæ, neq; corpora mixta sicut mel, lac, vinum, lana, linum, neq; vestes sericæ, neq; leticernia aut cubicula de pluma delicata, quæ futura in paradiso suis promisit stultus Machometus, & ideo non mirum si ibi non erit voluptas in talibus cum talia sibi futura non sint; Beatitudo enim corporis humani non in ijs consistit sed ex redundantia beatitudinis animæ in ipsum, corpus ipsum glorificabitur, cuius glorificatio quatuor continebit dotes tanquam quatuor partes gloriæ corporum sanctorum, quæ sunt claritas, impassibilitas, subtilitas, & agilitas & ita totus homo delectatione exultabit in Domino iuxta illud ps. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Coeterum differentia sexuum & membrorum varietas post resurrectionem non erit frustra cum sit ad naturæ humanæ perfectionem reintegrandam in specie & in indiuiduo quamuis animales operationes desint, licet ergo viri & foeminæ cum membrorum suorum integritate resurgant, non sunt tamen dicen-

dæ frustrà fœminæ adesse,quia non erit commixtio cum eis.

Tum primo quia cum genus humanum habebit tunc totam multitudinem hominũ prædiffinitam à Deo non erit amplius necessaria generatio hominum, ad quam ordinata est à natura ipsa carnalis commixtio fœminarum. Tum secundo quia ibi cessabit omnino omnis appetitus carnalis voluptatis nulla ibi pulsabit tentatio inimici, nulla erit ibi peccandi voluntas, nulla loquendi facultas sed totum lætitia, totum exultatio homines Angelis sociati sine vlla carnis infirmitate perpetuo gaudio fruentur.

Trigesimus quartus error confutatur. Cap. XXXX.



OETERVM perfidus Machometus præfatis erroribus adhuc adiũxit hunc qđ bibere vinum esset maximũ peccatũ,qui non parum mirandus est.

In primis quod huius vini tãta fuerit rationis inopia quod promiserit in partem fœlicitatis futuræ obseruantibus legem suam flumina vini in alia vita incorruptibili & immortali vbi vsus vinorum locũ non habet, & in hac mortali vsum vini dixe

rit esse peccatum, & quod magis derisibile est ad ostendendum rationabilitatem prohibitionis vsus vini, narrat imo fingit in libro qui dicitur de doctrina Machometi quandã stultam hystoriam videlicet, quod duo Angeli scilicet Arot, & Marot fuerunt olim missi à Deo de cœlis in terram pro gubernando & instruendo genere humano, quibus tria fuerunt à Deo interdicta. Primum est ne occiderent quemquam. Secundum est ne iniustè iudicarent. Tertium ne vinum biberent. Multoq; tempore sic habito cum noti Iudices essent per vniuersum orbem venit eis die quodam mulier præcunctis fœminis omnino pulcherrima causam habens aduersus maritum, quæ vt parti suæ accomodaret Iudices inuitauit ad prandium. Sequenter illa satagens conuiuantibus inter epulas etiam pocula vini apponit astat ministrans, offert crebro, instat vt sumãt. Quid plura vicerunt blanditiæ mulieris inæbriati poculis in hospitam formosam incaluerunt victi accubitum postulant, spondet conditione dum alter verbũ doceret per quod ascendebat cœlos alter per quod descendebant placet conditio; cum ergo didicisset eleuata est subito & ascendit coelos, quod cum videret Deus explorata causa posuit eam luciferum pulcherrimum inter stellas vt fuerat inter foeminas. Illis autem in iudicium

voca-

vocatis proposuit eis Deus vt eligerent inter poenam huius sæculi & poenam alterius: elegerunt hanc depensi sunt ergo per cathenas ferreas diuisis capitibus in puteum bibil, vsq; in diem Iudicij.

Stupendum plane est quod tanta fuerit amentia huius bestiæ Machometi & caligo mentis eorum, qui ei in huiusmodi stultitijs fidē dederunt, vt Sanctos Dei Angelos tales esse describat, quod inebriari possint & mulieribus commisceri, quæ absurda sunt apud omnes homines in quibus aliqua rationis scintilla residet. Cum enim Angeli nō sint animalia sed sicut in superioribus ostendimus substantiæ incorporales, & intellectuales naturæ non est eorum inæbriari, aut foeminis commisceri, hoc enim non nisi animalibus conuenit.

Præterea etiam licet quandoq; propter aliqđ mysterium iussu omnipotentis Dei circa homines peragendi contingat eos corpora assumere in corporibus tamen illis opera vitæ non exercent, nec exercere possunt, vnde Thob. xij. dicebat Angelus Raphael. Cū essem vobiscum videbar quędam manducare, & bibere sed ego potu inuisibili & cibo vtor, patet ergo tam ignorantia quam stultitia ipsis Machometi.

His ergo dimissis dicimus aduersus errorem prædictum quod bibere vinum non sit pec-

catum inebriari tamen vino peccatum regulariter eſt dicente Apoſtolo ad Epheſ. 5: Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.

Quod ergo Machometus errauerit dicens, qđ bibere vinum ſit maximum peccatum oſtendemus ex tribus ex quibus manifeſtam faciemus falſitatem ſui erroris.

Primo teſtimonio ſacrarum ſcripturarũ, quas ipſe acceptat.

Secundo rationibus.

Tertio ex ſanctimonia eorum qui vino vsi sũt.

Confutatur in primis error præfatus ex illo Deutheron. 14. vbi Deus loquens de prouiſione fienda in via ait, Emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit vinum quoq; & ſiceram, & omne quod deſiderat anima tua, & comedes coram Domino Deo tuo &c. Item Eccleſ. 31. æqua vita hominibus vinũ in ſobrietate potatum. Item ibidem exultatio animæ & cordis vinum moderatè ſumptum. Secundo idem arguitur rationibus. Primo ſic nullus cibus vel potus ſecundum ſe conſideratus eſt illicitus. Hoc patet ſententia D. N. Saluatoris Math. 15. Nihil quod intrat in os coinquinat hominem ſcilicet ſpiritualiter, Ergo bibere vinum nõ eſt peccatum, & per conſequens nec magnum.

Tertio ſic dicit Dominus Deus per Apoſtolum ſuum 1. ad Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum eſt, quod cum gra-

gratiarum actione percipitur, & ad Roman. *14.* dicitur, quod omnia munda sunt, ergo bibere vinum non est peccatum.

Secundo ratione patet falsitas præfati erroris. Primo quoniam si bibere vinum esset peccatum sicut stultus Machometus asseruit nunquam Christus nuptias illas, quibus interfuisse legitur Ioan. 2. honorasset mutando aquam in vinum.

Secundo eadem falsitas luce clarius demonstratur, quoniam si bibere vinum peccatum esset Christus nunquam assumpsisset vinum in materiam Sacramenti Eucharistiæ, quod tamen fecit Math. 2*6*.

Tertio si sic bibere vinum fuisset peccatum, nunquam Apostolus vas electionis, & veritatis mandasset Timotheo vt vino vteretur propter stomachum, & eius frequentes infirmitates.

Tertio principaliter falsitas præfati erroris ostenditur ex sanctimonia eorum qui vsi vino leguntur à tempore quidem Noe qui primo vinum bibisse legitur Gen. 19. Sancti Patres vinum biberunt, vnde de Isaac manifeste legitur Gen. 27. de Christo apertissime scriptura testatur Math. 6. & Math. 20. & de Apostolis idem. Nec obstat huic veritati, quod in aliquibus scripturis quandoq; videatur vsus vini prohiberi, quoniam aut prohibitio intelligitur facta solis Sacerdotibus,

& hoc pro tempore quo ingressuri erant Sacerdotes in antiqua lege ad mysterium tabernaculi & altaris sicut Leuit.x. præcipitur summo Sacerdoti Aaron vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filij tui, quoniam intrabitis testimonium tabernaculi. vel si omnibus fiat prohibitio intelligenda est non de simplici vsu vini, sed de immoderato vsu vini, secundum illud Eccl. 2. Cogitaui abstrahere à vino carnem meã, vt transferrem animam meam ad sapientiam.

Est autem hic non prætereundum, quod Machometus non introducit abstinentiam vini aut propter concupiscentiam sapientiæ aut propter sanctimoniæ amorem, sed cautelosè abstinentiam enim vini facit ad conseruationem pacis Reipublicæ de qua attente curarunt; cum enim in regione calida sit vinũ fortissimum si Saraceni vterentur vino fortissimo sicut nos cum ipsi non sint sobrij quotidie essent ebrij & magis voluptati dediti, & se mutuo interficerent, nam vt dicitur Eccles. 19. vinum & mulieres apostatare etiam faciunt sapientes. Et 31. multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrum durum sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum, propter quod Machometus vt Legislator Sarracenis prohibuit vinum.

Secundo prohibuit, quia ipſe quemadmodum alij Tyranni timebat gentes ſibi ſubditas, ne contra eum tumultuosè inſurgerent; & quia per vinum conſueuerunt rixæ, & multa oriri turbationum ſcandala, præſertim inter homines brutales, ſicut erant gentes illarum regionum. Idcircò ad talia præcauendum cautelosè potius, quam Religionis amore vſum vini prohibuit,

Trigeſimus quartus error confutatur Machometi. Cap. XXXXI.



INTER alios ſtultos errores Machometi, reperirur eum aſſeruiſſe, quod vniuerſa creata cœli, & terræ, & aues inuocant Deum, & vnũ quodq; orationem modũq; orandi ſcit.

Iſte error eſt ſtultus, & facile confutatur. Cum enim oratio ſit aſſenſus mentis in Deũ, ſicq; pars contemplationis; manifeſtum eſt, quod error ſit attribuere orationem rebus ſenſu, & ratione carentibus. Nec ſuffragatur errori præfato quod pſal. vltimo inuitantur creaturæ omnes ad laudem Dei, quoniam non ideo, vt aiunt Sapientes diuinarum ſcripturarum ſcrutatores, quod ipſæ creaturæ inanimatę ſuperiores vt Sol, & Luna, & coe-

li, aut inferiores sensu, aut ratione carentes, laudent Deum corde, aut ore; cum ratione careant; sed dicuntur laudare Sol, & coeli, & Luna Deum in quantum sua pulchritudine, & virtute ducunt homines in cognitionem, & laudem ipsius Dei. Alia verò inferiora creata, dicuntur etiam laudare Deum inquantum in ipsis relucet diuina bonitas, & sunt materia laudis diuinæ intellectualibus creaturis, sicut communiter dicitur, quod homo ex opibus laudatur. Vnde Isidorus, intelligibilia per se laudant Deum, irrationalia, & sensibilia, non per se, sed per nos, dũ ea considerantes Deum laudamus.

Tricesimus sextus error confutatur. Cap. XXXXII.



OETERVM perfidus Machometus etiam, & immundus, & carnalis quædam protulit contra Beatam Virginẽ falsa, & erronea, ac deliramenta in Alcorano suo capit. 28. Ita de beata Virgine loquens, Istud quidem firmè constanterq; diiudicatum est, illa impregnata cum eo in longinquum locum aufugit tandem menstruo partum præcedente distillante, cum iuxta palmam, consisteret, inquit, Vtinam morti obliuioniq; succum-

berem, antequàm hoc mihi contigiſſet; Chriſtus autem ſubtus eam egreſſus, ipſam conſolans, inqnit, Ne timeas, en ego tecum aſſideo, deinceps ipſam Deus alloquutus iniunxit, vt palmam excuteret, ſicq; ſuper eam ar rucoba recentia caderent, vnde ipſa comedens, & bibens cor ſuum corroboraret, atq; mitigaret.

In iſtis verò, quæ iſte ſtultus dicit contra honorem Beatiſſimæ Virginis, tot videntur errores contineri, quot ſunt dictiones.

Quod enim in primis dicit, Beatam Virginem, concepto filio, in locum longinquum aufugiſſe, vbi palmæ ſitæ erant, manifeſtè erroneum eſt; cum ſacræ ſcripturæ contradicat. Legitur enim Luc. 1. quod conęepto filio, & Angelo diſcedente abijt in Montana cum feſtinatione in Ciuitatem Iuda, & intrãuit domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabet, quam ſeruum, ac præcurſorem Domini parituram nouerat. Dicitur autem in Montana ſubire, non in locum ſilueſtrem, & ſolitarium, vt mentitur Machometus; ſed quia locus, vbi Zacharias morabatur, altior erat Galilea, à qua receſſit B. Virgo: Dicitur autẽ manſiſſe apud Elizabet, quaſi tribus menſibus, pro cuius conſolatione, & obſequio venerat; & completo ortu B. Ioannis reuerſa eſt in domum ſuam.

Quod ſecundo dicit, quod menſtruum præce-

dens partum diſtillauerat à B. Virgine ſtultum eſt, quoniam mulieres prægnantes, vt Medici dicunt communiter, non menſtruantur; ait enim Hippocrates, quod ſi mulier dum eſſet prægnans menſtruatur fętus non eſt ſanus, quod in B. Virgine puero concepto videtur blaſphemia. Beatiſſima autem Virgo, non ex virili ſemine ſed myſtico ſpiramine concepit, & ſine corruptione aliqua & dolore, peperit. Virgo enim ante partũ, Virgo in partu, Virgo poſt partum, ſemper immaculata, ſemper intacta, ſemper ſplendida, & puriſſima permanſit. Vnde Iſa. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.

Quod verò tertio dicit, quod B. Virgo videns diſtillationem illam menſtrui ſanguinis, dixerit, Vtinam morti, & obliuioni ſuccumberem, falſiſſimum eſt, & multum erroneum. Tum primo quoniam ſicut prędiximus talis menſtrui diſtillatio poſt conceptum ante partum illi non aduenit. Tum ſecundo quia dato, quod aliqua ſimilis diſtillatio ſanguinis menſtrui fuiſſet in ea, quæ in alijs mulieribus, etiam ſanctis Virginibus per ſingulos menſes contingit, non eſt credendum, quod Beatiſſima Virgo dixiſſet illa deſperationis verba, vt morti maluiſſet ſuccũbere, quàm talem naturalem fluxum pati; Cum ſine peccato talis naturæ purgatio contingere ſoleat. Tum tertio quia partui Virginis, non

non accesſit, nec concomitata eſt aliqua im munditia, aut dolor; ſed adfuit maxima iucunditas, ſecundum illud Iſa. 35.

Trigeſimus ſeptimus error confutatur. *Cap XXXXIII.*



OETERVM præfatus perfidus Machometus in 4. locò ait, Quod B. Virgine existente in loco prædicto ſilueſtri prædicta triſtitia affecta Chriſtus ſubtus eã egreſſus ipſam conſolans ait. Ne timeas ecce ego tecum aſſideo. Error iſte manifeſtam habet falſitatem.

Tum primo quia cõtra ſacram ſcripturam eſt, quod ait, quod in loco longinquo, & ſylueſtri Virgo peperit, cum in Bethleem Chriſtus natus fuerit, vt patet Prophetæ teſtimonio Miche. 5. Vbi dicitur, Tu Bethleem Effrata ex te egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & ex Euang. Matt. 2. Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ.

Tum ſecundo habet apertiſſimam falſitatem, vbi ait, quod paruulus egreſſus ſub ea alloquutus fuerit Beatam Virginem contra morem ſolitum aliorum puerorum, quod niſi miraculosè fieri poterat, maximè cum dicat Chriſoſtomus, quod Magi inuenerunt

pue-

puerum Iesum quantitate paruum, alieni operis indigentem, fandi impotentẽ, & nulla ab infantiæ humanæ generalitate distinctum. Dicit etiam super Io. quod Christus non fecit miracula antequàm aquam conuerteret in vinum propter quod, dicitur Io. 2. Hoc fecit initium suorum signorum Iesus.

Trigesimus octauus error confutatur. Cap. XXXXIV.



ONSEQVENTER errauit etiam perfidus Machometus cõtra honorem Beatiss. Virginis vbi ait, quod Dominus alloquutus est eam, & præcepit vt palmam excuteret, & sic super eam arucoba recentia caderent: Vnde ipsa comedens, & bibens cor suum roboraret, atq; mitigaret.

Error iste manifestam continet falsitatem, Tũ primo quia in loco, vbi Christus natus est, non erant palmæ. Natus enim fuit in diuersorio. Tum secundo quia Virgo Beatissima nihil doloris, aut laboris, aut tristitiæ passa est in partu, cuius causa opus esset sibi confectatione, & refocillatione illa per arucoba recentia; talis quidem confortatio p̃ cibum

cibum corporalem datur mulieribus quæ cum corruptione,& dolore pariunt, cuiuſmodi non fuit Beatiſſima Virgo, ſicut ſæpè repetitum eſt.

Triceſimus nonus error confutatur.
Cap. XXXXV.


RÆTEREA prefatus perfidus Machometus in præcedenti capitulo ſubiungit alium errorem, dicit enim Mariam afferentem puerum ſui non mediocriter increpabant, dicentes, O Maria cū tuorum parentum neuter malus exiſteret, cur rem adeò malam perpetraſti? Illa Virgo verò puerum oſtendens, vt ipſum inde cōuenirent ſignis innuebat, quibus qualiter infantulum huiuſmodi conuenirent ſciſcitantibus, ipſe primus in vocem erumpens inquit, Ego Dei ſeruiens, qui mihi librum tribuens me Prophetam conſtituit. Omnia iſta friuola,& falſa dicenda ſunt.

Primo quidem, falſum eſt, quod præfato modo aliqui inſultarent Beatiſſimæ Virgini increpando eam, quaſi de adulterio concepiſſet. vnde ad hoc excludendū ſponſata fuit Beata Virgo, Vnde Luc. 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel

briel &c. Dicit ad Mariam Virginem desponsatam &c. Vbi dicit Ambrosius, cur autem non antequam desponsaretur impleta est, fortassè ne diceretur, quod conceperat ex adulterio &c. Vnde quoniam apud omnes vulgatum erat, eam desponsatam esse Ioseph, vulgariter Ioseph Pater Christi dicebatur. Vnde Luc. 2. dicitur, Quod erant Pater, & Mater mirantes super ijs quæ dicebantur &c. Vbi dicit Glos. 1. Ioseph, qui ad conseruandam famam Mariæ est desponsatus quasi nutritius. Item Luc. 2. ait, Beata Virgo, Christe fili, quid fecisti nobis? Ego, & Pater dolentes quærimus te. Vnde falsissimum est, quod talis præsumptio mala esset habita de B. Virgine. Cœterum, quod ait, quod Iesus loquutus est, illis increpantibus matrem suam, ex dictis patet falsum, & fabulosum.

Quadragesimus error confutatur. *Cap. XXXXVI.*



OETERVM malitiosus Machometus vt faciliùs induceret simplices ad se asserit, vt in quodam libro legimus Prophetas, & antiquos Patres, vtpotè Noe, Abraham, Isaac, filios eorum fuisse

se Sarracenos, & nedum hoc de sanctis Patribus veteris testamenti hoc asserere dicitur, sed etiam, de Apostolis Christi, qui præstantissimi fuerunt in nouo testamẽto, quod protestati fuerint Christo, quod ipsi erant Sarraceni.

De Noe verò loquens, ait, Ideo venit diluuium in mundum, quia ipse prædicabat hominibus quod fierent Sarraceni, & ipsi renuerũt.

Hic error ita manifestè est non modo falsus, sed iniquus, vt non sit opus testes inducere. Quomodò enim illi sancti Patres, & Prophetæ potuerunt esse Sarraceni, qui præcesserũt Machometum, & sectam eius plusquàm per duo millia annorum? Quomodò sancti Prophetæ fuerũt Sarraceni, qui in omnibus suis Prophetijs ea annunciauerunt, & prophetarunt de Christo Saluatore nostro, quæ ipse perfidus Machometus negat, & damnat? Cœterùm quod prædicasset Noe hominibus, vt fierent Sarraceni manifestam continent falsitatem: Tum ratione prædicta, tum quia Noe testimonio Domini esset vir iustus atq; perfectus, non exhortasset quemquam ad sectam tam damnatissimam, & ab omni virtute sequestratam, vniuersisq; sceleribus plenam; cuiusmodi fuit secta Machometi. Quod verò dicit, quod diluuium venit in mundum, quia homines renuerunt esse Sarraceni, fatuum, & derisione dignum apud

omnes

omnes iudicandum eſt, vt patet ex dictis. immò diluuium venit in mundum, quia homines ſequebantur viam corruptionis, & carnalitatis, quam poſtea Sarraceni inſequuti ſunt, Vnde Gen. 6. ita dicitur, Cumq; vidiſſet Deus terram eſſe corruptam omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram, dixit ad Noe, Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & Ego diſperdam eos cum terra; quod autem conſequenter dicit de Apoſtolis, manifeſta eſt falſitas eius rationibus ſuper aſſignatis. Tum quia Apoſtoli multis centenis annorum præceſſerunt Machometum qui dicit ſe eſſe primum Sarracenorum, Tum ſecundo, quia ipſa Apoſtolorum doctrina eſt omnino contraria doctrinæ Machometi, vt clariſſimum eſt ſymbolū fidei inſpicientibus, ab ipſis Apoſtolis ordinatum, & doctrinam Machometi ex alia parte. Machometus enim negat trinitatem perſonarum in Diuinis, Apoſtoli cōfitentur. Ille negat Deum Patrem habere filium; Illi apertiſſimè confitentur. Ille perfidus negat Chriſtum Deum eſſe. Illi confitentur illum eſſe naturalem filium Dei conſubſtantialem Patri. Ille negat Chriſtum mortuum eſſe; Illi pro humani generis redemptione profitentur crucifixum, mortuum, & ſepultum; & ſic de alijs. Vnde manifeſta eſt falſitas, &

ſtul-

ſtultitia in hac parte perfidi Machometi. Et hoc de confutatione præſentis erroris.

Quadrageſimus primus error confutatur.
Cap. XXXXVIII.



MPLIVS perfidus Machometus grauiſſimè ſuper omnia errans blaſphemus conuincitur deitatis omnia falſa, omnia erronea, omnia nephandiſſima, omniaq; ſtulta, & impia, quæ in Alcorano ſuo, aut docet, aut iubet, aut ſutura ſeruantibus legem ſuam promittit Deo imponit ſicut docenti, aut ſicut iubenti, aut ſicut reuelanti, aut ſicut promittenti.

Qui error eſt peſſimus, Tum primo ex genere peccati, quia eſt peccatũ blaſphemiæ, quod omni alio maius eſt. Quod patet ſic, peccatum blaſphemiæ importare videtur quandam dero gationem alicuius excellentię bonitatis, & præcipuæ diuinæ. Deus autem vt dicit Dionyſius primo cap. de diuinis nominibus eſt ipſa bonitas. vnde quicquid Deo conuenit pertinet ad bonitatem ipſius, & quicquid ad ipſum non pertinet longe eſt à ratione perfectæ bonitatis, quæ eſt eius eſſentia, quicumq; igitur, vel negat aliquid de Deo, quod ei conuenit, vel aſſerit de Deo qđ

ei non conuenit, derogat diuinæ bonitati. Cum autem Machometus neget multa de Deo, quæ ei conueniunt sicut Trinitatem personarum generationem æternam, processionem Spiritus sancti, Diuinitatem à Christo, Incarnationem, mortem salutiferã Christi, potestatem iudiciariã in Christo, & multa alia sicut supra ostendimus discurrentes per multos errores illius plurima insuper asserit de Deo, quæ nullo modo ei conueniunt, vt quod à Deo, qui est summa veritas, mendacia & errores quos ipse docuit in Alcorano suo processerint. Item asserit de Deo qui est summa bonitas, summa sanctimonia quod ab ipso præcepta exiuerint illa impia & stulta, quæ ipse iubet, & concedit suis Sarracenis. Item asserit de Deo, qui fontalis plenitudo est omnis boni non plene remuneratus sit seruitores suos, cum eam non daturum asserat aliam fœlicitatem illis, nisi sensualem, & carnalem, quæ etiam communis est brutis animalibus, quare manifestum est, quod blasphemus extitit derogando excellentiæ diuinæ bonitatis in ijs, quæ dicta sunt per eum, quæ nos falsissima & erronea, atq; blasphema supra ostendimus. Item est insuper hic error Machometi pessimus, quoniam origo, & radix est omnium malorum eius, vtpote per quem ad sui obedientiam quasi infinitas traxit gentes, data namq; est

fides

fides eius erroribus per ſimplices & ignaros homines tanquam ex ore,& auctoritate Dei loquentis de quo maxime intelligendũ venit, quod de malis Prophetis Deus conqueritur Ierem. 23. dicens, Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetizant vobis & decipiunt vos,viſionem cordis ſui loquuntur non de ore Domini. Et infra: Non mittebam Prophetas,& ipſi currebant, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant: & infra. Audiui dicit Dominus,quæ dixerunt Prophetę prophetantes in nomine meo mendacium. Et hæc ſufficiant pro repellendo, & condemnando errorem prædictum.

Duodecim prærogatiuæ fidei Chriſtianæ Religionis quibus diſtinguitur à ſecta Machometi, propter quas merito omnes ratione vtentes deberent omni alia ſecta relicta ad Religionem Chriſtianam conuolare. Cap. XXXXVIII.



EX ſuperioribus bene conſideratis colligere poſſumus duodecim excellentias, ſiue prętogatiuas dignitatis,quibus lex Chriſtianorum à ſecta Machometi diſtinguitur propter quas Sarraceni, & quicunq; alij infideles ſi veræ beatitudinis

cupiunt participes fieri omni alia secta relicta ad fidem Christi ad Religionem Christianam extra quam non est salus deberent quam velociter concurrere, illi incorporari.

Excellit primo fides Christiana, quod habet originem summæ nobilitatis.

Secundo habet Magistrum & Doctorem summæ sanctitatis.

Tertio habet signa confirmantia diuinæ potestatis.

Quarto habet testes grandissimæ auctoritatis.

Quinto habet documenta irrefragabilis veritatis.

Sexto habet præcepta totius honestatis.

Septimo, Habet consilia petfectionalis sublimitatis.

Octauo, Habet prohibitiones omnis enormitatis.

Nono, Habet sacramenta meræ virtuositatis.

Decimo, Excellit fides Cstristiana quoniam non armorum violentia, aut tyrannica potentia, sed humilitate, & patientia, ac magnitudine est introducta.

Vndecimo, Habet existentiam incorruptibilis firmitatis.

Duodecimo, Habet promissa ineffabilis fælicitatis.

Probemus singula breuiter, tamen quoniam

in

in ſuperioribus plura eorum digeſta ſunt.
Habet in primis fides, lexq. Chriſtianorum originem ſummæ nobilitatis, quoniam non ab hominibus, nec caſu, aut fortuna allata eſt, ſed ab ore Dei proceſſit. Iſa. 33. Deus Iudex noſter, Deus legifer noſter, Deus Rex noſter ipſe veniet, &c. & Matth. 5. dicit. Aperiens os ſuum docebat eos, ſuper quo dicit Auguſtinus: Aperuit os ſuum. Vnde Mahometus hoc etiam profitetur in pluribus locis dicit Euangelium à Deo datum fuiſſe Chriſto. Vnde ex perſona Dei dicit dictum eſſe Chriſtum. O Chriſte recole quomodo dedi tibi ſpiritum vt loquaris hominibus & docui te librum & ſapientiam, & legem Moyſi. Et euangelium. Lex vero ſiue ſecta Machometi non habet originem cæleſtem, ſed terrenam, non diuinam ſed diabolicam: vt ſupra in cap. 3. manifeſte oſtendimus.
Secundo, Lex euangelica, ſiue Chriſtianorum habet Magiſtrum & Doctorem ſummæ ſanctitatis & gratiæ præ filijs hominum. Et infra. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ ideſt gratia ſanctitatis præ conſortibus tuis. Vnde Danielis 9. Sanctis ſanctorum dicitur. Vnde etiam Machometus de eo dicit. Quod fuerit vir optimus, ſapiens, de Spiritu ſancto conceptus, Verbum & virtus Dei, non autē talis fuit Magiſter, & Doctor Saracenorum ſectæ videlicet Machometus, qui non modo

non ſanctus, ſed ſceleratiſſimus, idolatra, homicida, raptor, lubricus maximus vt ſupra oſtendimus in principio huius tractatus.

Tertio, excellit lex Chriſtianorum in hoc quod habet ſigna confirmantia diuinæ poteſtatis, quæ ſcilicet ſola diuinitatis poteſtate fieri poterant, ſicut eſt reſuſcitatio mortuorum, ſanatio leproſorum, cœcorum illuminatio, & huiuſmodi, quæ innumerabilia per Chriſtum & diſcipulos ſuos in nomine eius facta ſunt, & fiunt per orbem vnde de Chriſto dicitur Luc. *6*. Virtus de illo exibat & ſanabat omnes, quoniam omne genus miraculorum fiebat per eum. Matth. 11. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, & pauperes euangelizantur. De ſignis vero quæ in nomine & fide eius per alios fiunt, dicitur. Marc. vlt. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpeutes tollent, & ſi mortiferum quod biberint non eis nocebit. Cœterum nō ſolum ſancti mortui huius Chriſtianæ fidei veritatem miraculorū operatione confirmarunt, verum etiam viui eadem ſignorum virtute per orbem veritatem illius quotidie teſtantur. Secta vero Machometi nullis talibus ſignis, nullis huiuſmodi miraculis per Machometum nec per ſuos

con-

confirmata eſt, nec oſtenſa à Deo eſſe, vnde ipſe profitetur ſigna ſibi non eſſe data, ſed in armorum potentia veniſſe ſicut ſupra in cap. 4. oſtendimus.

Quarto, lex Chriſtianorũ in hoc excellit, quoniam habet teſtes grandiſsimæ auctoritatis. Habet quidem Prophetas ſanctos veteris teſtamenti. Vnde Chriſtus ait Io. 5. Scrutamini ſcripturas, ipſę teſtimonium perhibent de me. Vnde ſcriptura veteris teſtamenti teſtatur de Chriſto, determinando tempus aduentus eius. Gen. vlt. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec Dux de fæmore eius donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Item teſtatur ſcriptura de eo Danielis 9. Determinando aduentum ſancti ſanctorum, ſub numero certo hebdomadarum. Item teſtatur de Chriſto determinando locum natiuitatis eius. Mich. 5. Et tu Bethleem Ephrata: ex te enim egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael. Item de Chriſto teſtatur determinando modum naſcendi. Iſa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filiũ & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. Item teſtatur de eo determinando in eo diuinitatis maieſtatẽ. Iſa. 9. Paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis; & ſequitur vocabitur nomẽ eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, &c. Item teſtatur ſacra ſcriptura antiqua

de eo determinando modum conuerſandi in paupertate & humilitate.Zachar.9.Ecce Rex tuus tibi venit iuſtus & Saluator, & ipſe pauper.Item præbet teſtimonium de ipſo modum moriendi determinando,Iſa.53.Sicut ouis ad occiſionem ducetur &c. Breuiter omnia Chriſti myſteria qua catholica fides credenda de eo proponit,ex veteri teſtamento habet apertiſſima, & clariſſima teſtimonia.Cæterum, teſtes maximæ auctoritatis,nulla exceptione, maiores habet fides Chriſtiana ex nouo teſtamento.

Habet in primis Ioannem Baptiſtam, quo,teſte Chriſto,inter natos mulierum,maior nõ ſurrexit. Cuius etiam ſanctitatem Machometus commendat plurimum in Alcorano, capit. 5. Ioannes iſte teſtimonium perhibet de Chriſto,ait.Ioannis 1.Hic eſt quem dixi, qui poſt me venturus eſt,ante me factus eſt, qui prior me ſcilicet dignitate eſt, & de plenitudine eius non omnes accepimus gratiam pro gratia;& infia; Cuius non ſum dignus corrigiãm calceamenti ſoluere, & infrà. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Præterea Chriſtiana fides habet teſtimonium, ſuæ veritatis omnes ſanctos Apoſtolos, qui Spiritu ſancto ſuggerente ipſius ſymbolum fidei ediderunt, quibus Dominus ait;& eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iu-

dæa, & Samaria vſque ad vltimum terræ. Act. 1.

Amplius fides Chriſtiana habet teſtes etiam eos, qui maximi apud Philoſophos habiti ſunt, ſicut de Platone narrat Auguſtinus de Ciuit. Dei, lib. 8. & 10. Sicut etiam de Termigiſtro, & Sybillarum vaticinijs narrat Lactantius, lib. 4. cap. 6. De quibus, etiam Aug. de Ciuitta. Dei, & in ſermone Natalis Domini.

Secta vero Machometi nullum habet, quod ſit vera, aut à Deo demandata, veridicum teſtem, non Prophetas, non Apoſtolos, non ſanctos viros aliquos, vt manifeſtum eſt, quoniam nullum talem in toto Alcorano, nec in libro, qui de doctrina eius dicitur inducit.

Si vero dicant Saraceni quod habent, licet ibi non inducantur, producant eos, & videamus qui ſunt illi, & vnde orti, & quæ ſit auctoritas illorum, quæ Sanctimonia, quæ dignitas, quæ ſapientia, & libenter audientur.

Quinto lex Chriſtianorũ excellit in hoc, quod habet documenta irrefragabilis veritatis. Pſal. 118. Inquit Propheta, principium verborum tuorum veritas in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ. Singulare teſtimonium, & irrefragabilis veritatis legis Chriſti præbet Machometus in cap. de Iona, ita dicens ſuis Saracenis. Si in aliquo dubio de Alcora-

no essent, quod petant ab illis, qui ante eos acceperunt libros, scilicet à Christianis, & Iudæis. Secta vero Machometi nō habet irrefragabilem veritatem, sed est multis erroribus, multis sceleribus, aut blasphemijs plena, vt supra nos in cap. 4. ostendimus.

Sexto lex Christianorum excellit, quoniam habet mandata, & præcepta totius honestatis, splendoribus virtutum plena; sobrietatem enim, & iustitiam docet, prudentiam, & virtutē, quibus nihil est vtilius in vita hominibus: Sap. 7. maxime cum inducat homines ad dilectiouem Dei, & proximi, in quibus duobus lex pendet, & prophetæ. Hinc Propheta ait, Psal. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Secta vero Machometi turpia præcipit, turpissima concedit, plena est fætoribus, & immunditijs, vt supra in cap. 4. Satis plene ostensum reliquimus. Vnde proprie figuratus est Machometus in reuelatione B. Ioannis per bestiā, & meretricem.

Septimo lex Christianorum præcellit, quia habet consilia perfectionalis sublimitatis, imperat enim inimicis charitatem, benignitatem odijs, vera maledictis subsidia, persequentibus patientiam, esurientibus victum imperat, & gratiam remunerationis promittit. Matt. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui vos oderunt, orate pro persequen-

sequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.

Habet etiam consilia Euangelicæ perfectionis de quibus dicit. Matt. 19. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelo, & veni, sequere me.

Secta vero Machometi non habet talia perfectionis consilia, sed iniqua, & impia, quæ latrones, & tyranni habent, puta, homicidiorum, violentiæ, rapinæ, vindictæ. Vnde Machometus neminem poenitere dicit nisi de iniuria sibi illata vindictam susceperit. Iubet captiuari, & occidi omnē non recipientem legem suam, & huiusmodi.

Octauo lex Christianorum excellit, quia habet prohibitiones omnis enormitatis, nullum enim malum permittit, tanquam perfectissima, sed omnia excludit & punienda prædicit, propter quod legislator Christus. Matt. 12. inquit, Dico autem vobis, quod de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines super terram reddent rationem in die iudicij. Sed si de omni verbo otioso multo magis de nociuo; & si de verbo, multo magis de facto. Tanta certe est legis Christi, & eius nobis est traditæ sapientiæ vis, vt in hominis pectus transfusa matrem omnium delictorum stultitiam, vno semel impetu expellat. Secta vero Machometi non est huiusmodi

modi

modi, vt ſupra, cap. 4. oſtendimus: multa iniqua, & impia permittit, & concedit: licet autem Machometus aliquando prohibeat aliqua peccata, vt rapinam, vel periurium, vel fornicationem, vel quædam alia mala, tamẽ ipſa prohibitio eſt quædam permiſſio; Dicit enim, ne faciatis talia, quia Deo non placẽt, ſed ſi feceritis, ipſe eſt miſericors, & miſerator & indulgebit vobis de facili. Talis enim facilis indulgentiæ permiſſio ęquipollet permiſſioni delictorum, quia teſte Gregorio facilitas veniæ intentiuum præbet delinquendi.

Nono lex Chriſtianorum excellit, quoniam habet ſacramenta miræ virtuoſitatis in remedium, & medicinam defectus, & vulnerum peccatorum. Habet inter alia Baptiſmi ſacramentum, in quo lauatur, & purgatur anima à ſordibus originalis peccati, & actualis, ſi ineſſe ſimul contingat; De quo Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Habet etiam ſacramentum confirmationis, in quo datur Spiritus ſanctus ad gratiæ augumentum, & ad robur ſpirituale animæ, contra inſultus, & bella hoſtium ſpiritualium. Habet inſuper ſacramentum Euchariſtiæ omnium ſacramentorum excellentisſimum, in quo ſub vtraq; ſpecie Chriſtus veraciter contentus vitam gratiæ præ-

ſtat,

ſtat, ſe dignè ſumentibus, Io. *6.* Inquit ipſe Saluator Chriſtus, Panis, quem Ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Item idem, ſi quis mãducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Item habet ſacramentum Pœnitentię, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, & eſt medicamentum vulnerum, & ſpes ſalutis, per pœnitentiam enim peccatores ſaluantur, per eam Deus ad miſericordiã prouocatur, & ſic de alijs ſacramentis.

Secta verò Machometi in hoc, omni alia ſecta pernicioſior, nulla habet Sacramenta, licèt ad deſignandum calliditate diabolica, quod ipſe Machometus vtriusq; teſtamenti conſeruator eſset, & ſic tanquàm propheta, vel Apoſtolus, ſiue Dei nuncius haberetur ſeruari pręcipit primum ſacramentum veteris legis, ſcilicet Circuncisionem; & primum noui, ſcilicet Baptiſmum; Omnes enim ſub prædicta maledicta ſecta aberrantes, maſculi circunciduntur, & tam viri, quàm fœminæ aqua lauantur.

In vtroq; tamen manifeſtè errant, nec ſacramenta aliqua tenent; ſed tantùm vmbratilem quandam ſimilitudinem. Nam Circuncisio, quæ in octaua die fieri præcipitur, Leui. 13. in ætate adulta iuuenili, & vltra per ipſos fit, & ſic prædicta Circuncisio, non eſt veteris teſtamenti, ſiuę Moſaica, ſed magis Iſmaelitica. In Baptiſmo ſimiliter errant;

tum quia, non vtuntur eo in forma, qua Christus instituit, dicens Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eas, in Nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti. Quocirca l otio illa, non est dicenda Baptismus Noui Testamenti. Tum secundo quia baptismus secundum doctrinam Apostolicã non iteratur, cum sit generatio spiritualis, quæ respondet generationi carnali, quæ nõ est nisi vnica. Vnde ad Ephe.4. Inquit Paulus Apostolus, Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Nam vt ait Glo. vna mors Christi, vnum baptisma consecrauit. Sarraceni verò fatuizantes sæpè, & sæpissimè abluuntur aqua. Vnde talis ablutio, nec rationem, nec nomen baptismi habere dicenda est. Tum tertio quia non videntur Sarraceni tali ablutione vti, nisi pro abstergendis corporalibus immunditijs; Nam de spiritualibus immunditijs nihil curare videntur, Vnde dicentes sic, Conseruate vtramq; legem, potius vtriusq; se manifestant corruptores. In hoc etiam sunt sine intellectu, vt credant huiusmodi lotiones tibiarum, & pedum &c. sibi proficere ad salutem. Interiora autem sunt lauanda, scilicet malitia cordis, incredulitas animi, & sordes peccatorum. Vnde Hiere. 2. Inquit Dominus, laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. Vnde eis conuenit, quod Dominus in Euang. Matt.

23. Iudæis, quasi similia facientibus, ait, Væ vobis hypochritæ q́ similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia; sic & vos à foris apparetis homines iusti, intus autem pleni estis hypochrisi, & iniquitate.

Decimo fides siue religio Christiana excellit, quoniam non armorum violentia, aut potentia tyrannica non quæstus, aut commodi gratia, non terrenæ gloriæ aut carnalis voluptatis promissionibus introducta est; sed humilitate, sed patientia, sed miraculis; pauperibus etiam prędicantibus, & ad contemptum mundi, & delitiarum fugam inducentibus. Vnde 1. Corint. 1. dicit Apostolus, Videte vocationem vestram fratres, quia nō multi sapientes secundum carnem, non multi potentesnon multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi eliget Deus, vt fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.

Secta verò Machometi, vt suprà dictum est, per violentiam, per potentiam armorum, oppressionibus, depopulationibus, rapinis, atq; homicidijs introducta, plantata, & extensa est. Si quis verò ex parte Machometi velit

oppo-

opponere, quod Moyses cultores Idolorum expugnauerit, reducat ad memoriã ꝓdigia & miracula, quæ ille fecerit in lege, & videbit, quod ex præcepto Domini hoc fecerit; similiter de Iosue filio Num, ad cuius verbũ Sol, & Luna stetere. Quæ miracula cum nõ possint fieri nisi à Deo, manifestum est, quod quicquid illi fecerunt, iussu Dei factum sit. Machometus verò nullum miraculum osten dit, quod sit in testimonium, vt ei credatur, cum officij sui non fuerit, nisi occidere homi nes, & latrocinari, & decipere aliena, & captiuare parentes cum liberis. Prætereà illi sancti viri tunc expugnabant cultores Ido lorũ Machometus persecutus est, & sui persequũtur populum Dei, qui vnum verum Deum Creatorem Cœli, & terræ adorat, colit, & laudat.

Vndecimo excellit fides Christiana quoniam habet existentiam incorruptibilis firmitatis, Vnde psal. 118. dicitur in æternum Domine permanet Verbum tuum, & Matt. 24. dicit Dominus, Cœlum, & terra transibunt verba autem mea non transibunt. Secta verò Machometi non habet durationis firmitatem, nisi quantum duratura est apud eos armorum potentia, & facultas temporalis, vt ipsemet attestatur Machometus.

Duodecimo excellit fides Christiana, quoniam habet promissa ineffabilis fœlicitatis, quæ

est visio facialis Omnipotentis Dei, & diuinitatis perfecta fruitionis suauitas: promittit siquidem seruitoribus suis fœlicitatem ipsam, quam Angeli habẽt in cœlo, quæ profectò ineffabilis est: Quæ enim lingua potest dicere, aut intellectus capere sufficit supernæ fœlicitatis quanta sint gaudia. Interesse Choris Angelorum, cum Beatis spiritibus semper persistere, præsentem Dei vultũ cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuo munere lætari. Secta verò Machometi non promittit obseruantibus legem suam beatitudinem, nisi carnalem, & voluptuosam in potibus vini, mellis, & lactis, & in luxibus, & in mollibus lecti sternijs, sicut supra in cap. 38, notauimus, quæ etiam communia sunt brutis animalibus.

Quas quidem Christianæ fidei excellentias super omnem aliam sectam; Vtinam Sarraceni, alijq; infideles sanis oculis attentè considerarent: Nam si facerent, credimus, si eis saluationis verus appetitus inesset, illustrante illo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ad Christianam religionem magna cum deuotione festinarent.

Ratio

Ratio áſſignatur quare ad hanc Machometi ſectam, licèt ſceleratiſſima tanta populorum multitudo confluxit.
Cap. XLIX.



V M autem fides Chriſtiana, vt iam ſupra oſtendimus tot excellẽtijs, & nobilitatis prærogatiuis ſuper omnes leges priuilegiata ſit, atq; virtutum floribus tota plena, ſuper omnem aliam ſectam emineat; ſectaq; Machometi, ſiue Sarracenorum erroribus, & ſpurcitijs perfuſa ſit, mirum fortaſſe aliquibus videbitur, & quæſtione dignum. Cur ad prædictam Machometi ſectam tanta hominum multitudo, & populorum diuerſitas confluxerit, maximè cum ratio naturalis hominis, vt ait Philoſophus 1. Ethic. ſemper ad optima deprecetur. Sed ad hanc quæſtionem faciliter reſpondetur, ſi conſiderentur aſtutiæ, & viæ, quibus verſutijs vſus eſt Machometus ad introducendam ſectam ſuam, & quibus poſſet errorem ſuum tegere, & Chriſtianæ fidei veritatem in opinione ſtultorũ, & inſipientium hominum deprauare: de quibus, quia plura ſuperius percurrimus, pauca ſubiungemus. Fuerunt autem quinque viæ, ſiue aſtutiæ Machometi, quæ contrariæ

trariæ sunt vijs, quibus fides Catholica stabilitatem suscepit; de quibus S.Tho.1. contra Gent. cap.6. loquitur.

Prima est, quod carnalium voluptatum promissionibus ad quarum desiderium carnalis concupiscentia instigat populos allexit; promisit enim hominibus legem suam susci pientibus, legem carnalem, & voluptatibus plenam, qualem sibi præparari optabat; ibi carnium, & omnium generum fructuum vsũ ibi lactis, vini, & mellis riuulos, & aquarum splendentium cursum, ibi pulcherrimarum mulierum, & Virginum amplexus, & luxus, quibus summa paradisus eius describitur; quę omnia obedientibus sibi promittit, sicut plenius supra in c.38. tetigimus. Vnde non mirum, si carnalis, & bestialis populus sequu tus est illum. Fides vero Christiana è conuerso intrauit; Non enim carnalia promittit, non voluptates carnis, sed fœlicitatem, qualem ipsi Angelici spiritus habent, quæ ineffabilis est, & incomprehensibilis, quemadmodum supra in præfato cap. 38. persequuti sumus.

Secunda via qua Machometus vsus est ad alliciendum populos ad sectam suam, quod prę cepta dederit promissis conformia, carnali voluptati habenas relaxans, quibus in prom ptu est à carnalibus hominibus obedire. Vt enim Tullius narrat, benedixisse Polienem,

voluptatem escam esse malorum, qua capiuntur homines, vt pisces hamo; Et Virgilius in Buccol. Trahit vnumquemq; sua voluptas. Hac ratione vt dicit Lactantius Epicureorum disciplina multò celebrior semper fuit, quàm cœterorum; non quia veri aliquid affert, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat, dicens voluptatē esse maximum bonum. Non sic autem lex Christiana præcessit, in qua voluptates carnis maximè prohibentur, & omnia, quæ in mundo sunt contemni docentur, quæ verè à tota multitudine hominum appetuntur, vt sunt libidines, & delectationes gulæ, & honores mundani, quibus animi mortalium maximè afficiuntur, vt dictum est, Vnde 1. Io. 2. Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ; quibus exhortationibus animos mortalium assentire maximum miraculum est, & manifestum diuinæ inspirationis opus; vt contemptis visibilibus, sola inuisibilia capiant.

Tertia via qua Machometus processit, fuit, qđ documenta veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapientiæ naturalis ingenio, agnosci possint; quin potius

vera, quæ docuit fabulis, & falsissimis doctrinis, miscuit; vt quod Deus sit vnus, sitq; creator omnium rerum, & quod ei timor, & honor exhibendus sit. At quod pietatis opera exercenda sint, quilibet, etiam parum doctus intelligit esse facienda, & quæ etiam, antequàm ipse Machometus illa scriberet, in Euang. pleniùs continentur. Lex verò Religionis Christianæ plurima documenta tradit veritatis diuinitus hominibus reuelatæ, quæ excedunt totius humani intellectus virtutem, & facultatem; vt est Trinitas personarum in vnitate Essentiæ Diuinæ, generationis arcanum, Diuinæ Incarnationis mysterium, & Eucharistiæ ineffabile sacramentum, & similia, quæ omnia superant omnem creatum intellectum; de quibus Ecclesiast. 3. dicitur, Multa supra sensum hominis ostensa sunt tibi, & Propheta in psal. 118. Considerabo mirabilia de lege tua. Item, mirabilis facta est scientia tua, ex me confortata est, & non potero ad eam. Idest ex me attingere. Et Apost. 1. Corinth. 2. Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei; Nobis autem reuelauit per Spiritum sanctum.

Quarta via, qua Machometus in propagatione suæ legis vsus est, sicut in cap. præcedenti diximus, fuit tyrannica violentia, & potentia armorum. Non enim signa adhibuit supernaturaliter data, quibus solis diuinæ in-

ſpirationis conueniens teſtimonium adhibetur, dum operatio viſibilis, quæ non poteſt eſſe niſi diuina, oſtendit Doctorem veritate inuiſibiliter inſpiratum. Vbi notandũ, quod non aliqui ſapientes in rebus diuinis exercitati, & humanis, à principio crediderunt ei; ſed homines beſtiales in deſertis morantes, omnis doctrinæ diuinæ prorſus ignari, per quorum multitudinem, alios armorum violentia in ſuam legem coegerunt. Illuſtris vero Chriſtiana Religio, non ſic armorum potentia introducta eſt, vt in præcedenti cap. quia Deo non placent violenta obſequia; ſed miris prodigijs, & operibus viſibilibus, quæ totius naturæ ſuperant virtutem, & facultatem, videlicet mirabili curatione languorum, mortuorum reſuſcitatione, cœleſtium corporum mirabili mutatione; & q̃d mirabilius eſt humanarum mentium inſpiratione; Vt Idiotæ, & ſimplices dono Spiritus ſancti repleti ſummam ſapientiam, & facundiam in inſtanti conſequerentur. Vnde ſoli Chriſtiani, prædicationibus, martyrio, & miraculis, non vi aliqua temporali, omnium nationum gentibus Chriſti fidem ſuaſerunt, quod Propheta ita ſpiritu præuidens ait, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde Lactantius dicit, Deniq; nulla gens tam inhumana eſt, nulla Religio tam remota,

cui

cui aut possessio Christi, aut sublimitas Maiestatis ignota sit.

Quinta via, qua Machometus in dilatatione legis suæ vsus est, fuit, quia enim nulla Diuina oracula præcedentium Prophetarum, ei testimonium perhibent, quin potius, quasi omnia veteris, & noui Testamenti documenta, fabulosa narratione deprauat, vt patet eius Alcoranum inspicientibus, astuto consilio libros veteris, & noui Testamenti suis sequacibus non relinquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. E conuerso verò, quia fides Christiana ex lege veteri, & Prophetarum oraculis veritatis suæ habet clarissima testimonia, Christus mandat scrutari scripturas, dicens Io. 5. scrutamini scripturas. Illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.

Ex quibus satisfactum esse creditur ad quęstionem, qua quærebatur. Quare tanta populorum multitudo sectæ Machometi erroribus, & fœtoribus plenæ adhæserit. Nec de hoc debent multũ homines admirari, qui in nobilissima Christiana religione militant; quoniam, vt scriptura sancta testatur stultorum infinitus est numeros, Eccl. 1. Et Matt. 20. dicitur, multi sunt vocati, pauci vero electi; Vnde etiam maior est vilium rerum, quàm preciosarum multitudo, vt ferri, plũbi, quàm argenti, & auri, & pauciores preciosi

ciosi lapides, quàm non preciosi:

Sed hic pulsare posset aliquorum animos, quare Deus permiserit, quod Machometus tot gentes ad legem suam sacrilegam, & damnatissimam attraxerit.

Ad hoc ad præsens dici posset, hoc contigisse propter sectam Christianorum Orientaliũ, Africanorum, & propter peccata Idolatrarum. & Iudæorum. Secta enim illa incepit in Arabia, & destinata est in Oriente, & in Occidente in Africa. Scimus autem, quod Christiani Orientales, pro magna parte facti erant hæretici varijs hæresibus, scilicet Arrianorum, & aliorum hæreticorum; vt testatur Hieronymus scribens Damaso Papæ, & habetur cap. Quoniam vetus Oriens, & Africa in hæresi Donatistarum. In Arabia autem gens inculta erat Idolis dedita, & inter istas gentes multi falsi Iudæi inimici Christi, propter quod dati sunt meritò in reprobum sensum, vt mendacijs credentes errorum tenebris inuoluerentur. Iuxta qđ dicit Apostolus 2. ad Thess. 2. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illos Deus, ideſt, permittet venire in operationem erroris, vt credant mendacio, ideſt, fallæ doctrinæ, vt iudicentur omnes, scilicet, iudicio condemnationis, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, quod nos in Machome-

to cernimus esse adimpletum. Posset etiam tanta dilatatio illius sectæ adscribi Christianorum præsentium peccatis,& negligentiæ, quorum charitas friguit, vt quasi nullus pro gloria nominis Christi velit militare aduersus illos. Hinc crescunt illi continuè,& dilatant se plurimum occupantes terras,& dominia Christianorum, & Christianus populus diminuitur: planè audemus dicere, quod sicut propter peccata Israelitarum Arca DOmini Philisteis est tradita, ita etiam propter peccata Christianorum, & ingratitudinem Terra sancta tradita est in manibus impiorum Sarracenorum,& eisdem demeritis Cōstantinopolitana Ciuitas Imperialis paucos ante dies cum multis adiacentibus populis, non sine maximo Christianitatis oppobrio Turcarum seruituti subacta est.

Exhortatio Principum Christianorum ad insurgendum contra Turcum.
Cap. Vltimum.



VONIAM decursis pro nostra mediocritate errorum reprobationibus quos in secta damnatissima perfidi Machometi sanctæ fidei Catholicæ magis repugnare cognouimus ad metam propositi nostri Dei munere

profecti sumus superest vt aliquantula exhortatione ad Christianos Principes in hac dieta conuenturos,& in eorum personis absentes tractatulum nostrum claudamus,qua eorũ Religiosos animos moneamus vt post posito omni tempore, omniq; excussa ignauia ad extirpãdam damnatissimam Machometi sectam eiusq; gentem , quæ incredibili seueritate fidem Christianam, & Christi nomen gloriosum molitur extinguere viriliter insurgant . Vtinam tantam in primis apud Diuinitatis clementissimum fontem,auctoritatis gratia verbis nostris mereamur concedi,vt aliquem fructum sint apud Deos habitura . Appello autem, vos Inuictissimi Reges,vos hortor atq; oro maximi Principes,cœteriq; magnates & Magnifici Domini vt aliquando excitemini contra hunc Christi hostem crudelissimum dico Tuscum qui hoc nostro lugubri ęuo Christi nomen delere, euertereq; Christianam Religionem radicitus ardet . Ad quod quatuor maxime nobilissimos animos vestros mouere & inducere debent . Primum est Saluatoris nostri Iesu Christi,& Domini amor,& zelus honoris eius . Secundum est amor Reipublicę Christianæ . Tertium est honor & gloria vestra . Quartum est amplitudo remunerationis promissa militantibus hac sancta militia .

In

In primis vos, clarissimi Principes, excitare debet ad expugnandum hunc hostem Christi & deuastatorem Religionis Christianæ, Amor Dei, & Saluatoris vestri, quem toto corde, tota anima, totisq; viribus amare tenemini: plane si amatis sicut debetis profecto zelabitis honorem illius & iniurias, ac blasphemias illius patienter non feretis. Ait enim Dominus Malach. 1. Si ergo Pater ego sum vbi est honor meus? Et sanctus Propheta Dauid ait, Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tebescebam? Et idem, zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me: plane qui eum veraciter amat, nullis pro defendendo illius honore periculis se exponere formidat, non curat ignominiam, non tormenta sentit, non mortem denique timet: Charitas enim vt ait Euangelista Ioannes expellit timorem, Et vt ait Tullius, Nemo iustus potest esse, qui mortem, qui exilium, qui egestatem timet. Certè ab amore Dei videtur exclusus qui iniurias Dei repellere potest, & negligit. Si enim vt testatur Ambrosius lib. de officijs, Qui non repellit à socio iniuriam si potest tam in vitio est, quàm ille qui fecit. Quid sentitis de vobis, O Principes clarissimi, si iniurias, si opprobria, si blasphemias Dei vestri, & Saluatoris

toris nostri Iesu Christi cum possitis repellere, propellere neglexeritis. Audite quæ sacri Pontifices Anastasius & Damasus dicunt; Qui potest obuiare, & perturbare peruersos,& non facit, Nihil est aliud quàm fanere impietati eorum. Notate bene oro quid dicat Ambrosius. Quid nos dignum referimus nostro Creatori cuius cibo vescimur, & dissimulamus eius iniurias &c. Quanta putatis Præstantissimi Domini Principes, damnatione digni habendi venitis, qđ cum inter vos discordatis miro ardore, & furoris libidine vestras iniurius vlcisci contenditis ita ut pro illis vindicandis pericula & mortes subire non formidatis, & Christi Domini Saluatoris nostri gratia cuius regna,& Dominia tenetis iniurias & blasphemias cum damnabili patientia præteritis: Adimpletur quod Hieronymus ait; Nationes aduersariorum mortali odio persequimur, blasphemantibus Deum clementem porrigimus manum. Non sic vos o Christianissimi Principes agere velitis, sed expergiscimini aduersum illam spurcissimam gentem Turcorum, quæ præter hoc, quod terrã Sanctam Saluatoris nostri præsentia honoratam occupat violenter. Vnde Christiana Religio sumpsit exordium, fontem. Vnde Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ fluenta
in

in totum orbem emanarunt, altare Sanctum in quo Agnus immaculatus Christus pro humani generis redemptione est immolatus à Christi blasphemijs in dies non cessat; negat enim Christi diuinitatem, Regalem maiestatem, Incarnationis pietatem, mortem salutarem, Iudiciariam potestatem, & alia fidei sacramenta deridet, & vltra hoc persecutiones maximas continuę populo Christiano ingerunt, Excitate vos (clarissimi Principes) vt pugnemus pro fidę nostra, pro gloria Saluatoris nostri.

Præterea secundo vos Illustrissimi Principes mouere debet ad expugnandum hunc acerrimum hostem Amor reipublicæ Christianę: tãta vt priscorum exemplis instruimur, fuit apud antiquos sollicitudo pro republica seruanda, & augenda, vt pro salute illius nullis periculis, nullis laboribus, aut incõmodis parcendum esset. Si enim illi Pagani nullũ periculum dicebant esse vitandum pro Reipublicæ suæ idest populi salute non redempti pretioso sanguine Christi, non regenerati Sacramentis eius, non viuificati vita sua & pro salute tantum temporali ex amore carnali Patriæ & laudum cupidine, nec ad salutem animarum, nec ad honorem Dei tot & tanta fecerunt, Quid debent facere Christiani Principes ꝓ Republica Christia-

na idest pro populo Christiano Christi sanguine redempto electo ab eo & vocato in admirabile nomen suum, de quo Apostolorum Princeps ait. Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis 1. Petri 2. Pro quo populo tuendo tam ardentius, liberiusq; vos clarissimi Principes assurgere debetis quanto maioribus, atq; periculosioribus damnis Rempublicam Christianam ipsi Turchi hostes grauissimi nunc affligere cupiunt, non enim vrbis vnius aut cuiuscunq; opulentissimi regni, sed totius fidei Christianæ plane res agitur. Fidei enim damnum eo detestabilius esse creditur, quo fide deficiente nihil proficit quicquid vlterius continetur, Nullæ nãq; maiores diuitiẹ dicit Augustinus, nulli tesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior substantia, quàm fides Catholica; Non animaduertitis pijssimi Principes proximos vestros non solum corporibus perire sed animabus. O quã multi sunt proh dolor Christianorum, qui in seruitutem Turcorum ducti, vel voluptate tracti, aut persuasion ibus seducti, aut tormentorum metu fracti à fide Christi sine qua non est salus damnàbiliter apostatant. Quis insuper sine lachrymarũ profluuio possit cõmemorare damna, incomoda, dolores, anxietates, angustias, lamen-

tatio-

tationes,infamias,derisiones, vituperia,rapinas,violentias, seruitutes ac mortes illatas Christianis per Turcos , euersas vrbes, templa arsa,& profanata, vniuersaq; decora Religionis Christianæ ab illis impijs canibus pedibus conculcata, O indignum facinus, ò iniurias non sustinendas,ò scelera nullo pacto patienter ferenda. Plane Illustrissimi Principes si in pectoribus vestris Reipublicæ Christianæ siue proximorum vestrorũ quos vt vos magistro nostro Christo docente, diligere debetis; Charitas regnat nulli labori, nulli periculo , non morti parcendum erit pro salute Reipublicæ vestræ. Attendite quod sicut Christus posuit animam suam pro nobis, & nos debemus animas nostras pro fratribus nostris ponere 1.Io.3. Audite quæso quid Illustris Princeps Iudas Machabæus ait ad Duces & Tribunos,& Centuriones populi sui. Accingimini & estote parati mane vt pugnetis aduersus nationes has,quæ conuenerunt disperdere nos & sancta quoniam melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis & sanctorum 1.Machab.3. An non vident excellentiæ vestræ (præstantissimi Principes) fortissimum hunc hostem non dormire sed celerrimè nos inuadere exercitu robustissimo,animo truculentissimo,rebus aparatissi

mis

mis nos dirutum venire? Quid ergo cunctamini? quid expectatis? An aut Ecclesiã Christi prædam faciat hic Draco, Quinimo expergiscimini potius, viresq; vos ostendite Reipublicæ vestrę tuitionis & defensionis debitam, rediturum oro ac oro alias damnationis periculum vobis imminere credite. Ait enim beatus Isidorus, Non modo Hispaniarum, sed totius Ecclesiæ iubar singulare: habetur in capitulo Principes 23. q.5. Cognoscant Principes sæculi Deo se debere reddituros rationem propter Ecclesiã, quàm Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax,&disciplina Ecclesiastica per fideles Principes, siue soluatur ille scilicet Christus rationem exiget qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.

Amplius tertio mouere debet excellentias vestras Clarissimi Principes ad Rempublicam Christianam tuendam honor vester quem quanto nobiliores estis, tanto cariorem habere debetis. Summa autem militiæ salus; vt ait Gregorius inter alia bona hoc est obedientiam Reipublicæ vtilitatibus exhibere. Teste etiam Vegetio inter alia sacramentum militiæ hoc continet nunquam deserturos militiam, vel mortem refutaturos pro republica. Hoc ergo maxime ad honorẽ Principis pertinet saluti Rei-

publi-

publicæ Christianæ sollicitudinem suam im pendere: & pro illius tuitione viriliter decertare. Hinc semper in aduersitatibus à Principibus Christianis, Regibus & Imperatoribus solita est contra hostes fidei auxilium postulare vt August. ait in cap. maximus, & in cap. presbyteri 23. q. 5. & Conc. Cartaginense vt in cap. ab Imperatoribus eadem causa, & quæstione, sane è contra summa Principum Christianorum & militum ignominia est si circa tuitionem Reipublicę Christianæ inueniantur negligentes. Quamobrem pro honore vestro Clarissimi Principes excitate vos aduersus Turcos in defensionem Reipublicæ vestrę incumbite in vestram, atq; perpetuam laudis gloriam. Maxime cum constet clarissimè, & magnitudine animi rei militaris peritia, Militum robore, & splendore armorum illo multo præstantiores esse, Constat insuper populos vestros fore industrios, sagaces, prouidos, fortes, viriles, robustos, constantes, probos, atq; ad res omnes gerendas maxime aptos, Illud; genus Barbarum esse inerme, ignauum, vilissimum, timidum, confusum, instabile fugax, muliebri ritu togatum, & laruatum, & ab omnibus probis viris maxima pars derisibile, quod etiam causa iustior ac sanctior vestra sit quis dubitat cum populus ille barbarus

barus Machometum ſcelerum omnium inuentorem, ſpurcisſimarum libidinum patrē, atq; omnium hæreſum renouatorem extollit, tuetur, vitamq; pro eo fudit: vos ſanctorum ciues populus electus vnigenitum Dei filium verum Deum ſanctisſimum hominem adoratis & colitis, eiuſq; Religionem virtutibus omnibus plenam defenditis, atq; tuemini. Vos etiam o Eccleſiaſtici Principes, & animarum Rectores, quos Chriſtus ſpecialiter participes effecit honoris ſui expergiſcimini & videte, quod oues vobis commiſſæ à Lupis ideſt Turcis dilaniantur, rapiuntur & crudelisſimè occiduntur. Attendite qđ bonus Paſtor iuxta Magiſtri noſtri doctrinam animam ſuam ponit per ouibus ſuis ſi animam multo amplius Prælati ſubſtantiā dare tenentur. Spectare autem videtur ad charitatem veſtram in tanto Chriſtiani populi necesſitatis articulo de bonis Eccleſiaſticis ad expenſas armatorum profuſe largiri, vt enim beatus Ambroſius ait Aurum Eccleſia habet non vt ſeruet ſed vt eroget, & ſubueniat in necesſitatibus. Planè ſi ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur res pauperum pauperibus non erogare ſacrilegæ crudelitatis diuites Prælati arguendi venirent qui in tanta necesſitate Eccleſiæ ſubuenire recuſarent.

Cœ-

Cœterum quarto, vos ò clarissimi Principes mouere debet & vehementer accendere ad hoc sæpe commemoratum pietatis opus, excellentia remunerationis, quæ hac sacra militia desudantibus ab ipso summo Regum Rege Christo Saluatore nostro promittitur. Si enim apud Principes sęculi Miles Mllitum meretur Præconijs ;magnis extollitur, qui pro Domini sui honore, aut patriæ defensione strenue militat, fortiter pugnat, hostes propulsat bellando perseuerat vsq; quo ad plene de hoste triumphat, quanto magis spectanda sunt amplissima præmia honoris singularis, coronæ immortalis, gloriæ hac in vita, & ampliora in alia à summo Rege, qui est infinitæ & ineffabilis magnificentiæ ab ipsis, qui ex diuino amore, & fidei deuotione exponunt se contta hostes fidei, propter quod ait Bernardus huiusmodi Militibus securè procedite Milites, & intrepido animo inimicos crucis Christi propellite; & sequitur, Quàm ò gloriosi reuertuntur victores de prælio, quàm beatè moriuntur Martires in prælio. Et Leo papa Quartus scribens exercitui Francorum vt in cap. omni 23. quæst. *8*. Ita, inquit, omni timore, atq; horrore deposito contra Inimicos Sanctæ Fidei, & aduersarios omnium Religionum agere viriliter studete, nouit enim omnipo-


nipotens si quilibet vestrorum morietur; quod pro veritate fidei & saluatione patrię, ac defensione Christianorum mortuus est, Ideo ab eo cœleste præmium consequitur, de quo Apostolus inquit 1. Corint. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt eum.

LAUS DEO.



INDEX CAPITVM

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.



Quin-

Tri-

F I N. I S.

Imprimatur si placet R. P. Magistri Sacri Palatij.

B. Gypsius Vicesgeren.

Imprimatur
Fr. Io. Maria Magist. Sacri Palatij Apostolici.



ROMAE,

Apud Gulielmum Facciottum. 1606.